













N° 5

EILERDI ALMÆ
JUNIORIS PHRYSII

BELLVM
GIGANTEVM.



AD
ILLVSTRES ET GENEROSOS
COMITES AC DOMINOS
Phrysiæ Orientalis.





LVGDVNI,
Apud Renatum Postelerium.
cIↃ. IↃ. LXXXVIII.

1588

AD

ILLVSTRES AC GENEROSOS COMITES, DOMINOS

EDZARDUM ET IOANNEM FRATRES,
Comites & Dominos Phrysiæ Orientalis,
Dominos suos clementissimos



PRÆFATIO.

COELO tonantem crediderat Iovem
Gravi vetustas territa fulmine,
Virtute Fratres eminentes
Et Phrysiæ Comites Eöæ:
Auxit timorem post quoque numinis,
Vltor subacti cùm patris, impios
Titanas, immanemque turmam
Vindicibus domuit sagittis.
Sed sumtuosis tunc priùs hostiis,
Et victimarum cæde bidentium,
Res acta sacris, & Sabæi
Thuris Arabs lacrymas cremavit.
Centum juventus horrida brachiis
Telluris ira cùm super ardua
Cœli viam crebris paravit
Montibus impositis negatam.
Quos concitatus Iuppiter impetu
Perfregit uno, castraque, fulminis
Per aërem moto tumultu,
Auspiciis pepulit secundis.
Nunquàm diremtum post ope Cœlitum
Inordinati pondus iners Chaûs,
Tanta laborârunt ruina
Tartareæ superæque sedes.

Non trux Echion defuit hostium
Rebus gerendis, cumque Damasore
Phæacio natus Phalacro
Eurymedon dominator audax:
Immane quodvis in Superos scelus,
Et quidquid usquàm concipitur nefas
Patrare, commotoque bello
Omne genus feritatis ausi.
Quos congregati DI simul omnibus
Ab usque mundi finibus acriter
Ivêre contra, nec parente
Sceptrigero minor alma Pallas.
Hinc, quem columnas orbis ad ultimas
Vexêre tigres, constitit Euhyus,
Gangetico clarus triumpho
Et spoliis Orientis auctus.
Et ipse falso natus Apolline,
Qui Trismegistum protulit inclytum,
Asclepius, primus vel auctor,
Vel medicæ reparator artis.
Illinc Lacœnæ Castor adulteræ
Polluxque fratres, & socer Oebali
Perseûs per obstantes catervas
Explicuit sua primus arma.
Magnus Creontis nec gener abfuit,
Virtute sedes qui tenet igneas,
Victorque turbavit refracto
Terribiles Acheronte manes.
Adversus illos nil furor insolens,
Iunctumque gnatis robur Aloëi:
Non impotens quid fortitudo
Centimani valuit Typhoêi,
Qui nigra fulvæ regna Proserpinæ,
Qui judicantem spreverat Æacum,
Et carceri jam mancipatum
Clauserat ætherium Tonantem.

Cæſi Deorum ſeriùs, ocyùs,
Omnes ad unum turbine flammeo:
Aut ſaxeum traxêre, viſa
Ægide Palladia, rigorem.
Hunc Ætna vaſto pondere Trinacris:
Illum coërcet mole Veſevius,
Semperque fumos æſtuantes
Faucibus Alcyonêi volutat.
Pars inquieti vi maris obruta:
Pars miſsa forti ſub Styga fulmine,
Vltrice Dirarum flagello
Tartarea cohibetur unda.
Illic trecenis bellua centiceps
Cogit catenis quotquot ad æthera,
Vi propria, Divûm timore
Poſthabito, penetrare niſi.
Quos in ferentes jura ſilentibus
Mirum ſeveri ſupplicij genus
Cudunt, & intorti capillis
Eumenidum reparantur angues.
Vt quid ſuperbum quàm dominum Elidis,
Præterque ſævum Tartara plecterent
Corinthium, longeque tractum
Viſceribus Tityon novenis:
Nec ſemper undis vana fluentibus
Mirentur umbræ dolia Belidum,
Pœnamque ſe ſemper ſequentis,
Et medio ſitientis amne.
Novus ſed inſtat Cœlitibus labor
Ab aëris qui munere veſcimur,
Secura nec cœlo Mimantis
Parta quies Briarêique fato.
Humana nam gens, omnia perpeti
Audax, ſuperbit per vetitum nefas,
Inſtar Gigantis cuncta turbans
Iura animo malè pertinaci.

Radice motum Pindon Olympico
Non præliantes vertice ſubdimus:
Ad aſtra non vulſas cupreſſos,
Nec veteres jaculamur ornos.
Molitur intùs mens quid acerbius,
Suaque læſum ſtultitia Iovem
Irritat, infandisque factis
Ponere non patitur furorem.
Rarus Deorum cultor & infrequens,
Rariſſimus qui degere cogitet
Ab inſolenti temperatam
Luxuria vitiisque vitam.
Quin & profeſſi (triſte nefas piis)
Sub Chriſtiano nomina tegmine,
Vel turpiora inſaniente,
Sacrilegoque patrant Typhoêo.
Hinc peſtis atrox, hinc mala febrium,
Lethique mundum dura neceſſitas
Invadit: hoc punit rebelles
Fulmine, & imperio coërcet.
Accedit illis victor Arabs malis,
Nunc Ottomanni roboris impia
Vt contumax affinitate,
Sic furiis ſuperans Gigantes.
Qui Marte vexans nos, tua viſcera,
Iræ exequutor juſte Deus tuæ,
Et te ſimul falſo tuumque
Dedecorat Mahomete Chriſtum.
Quouſquè tandem degener irruet
In nos potenti Sarmata dextera,
Impunè fortunas ſuorum
Immerito redimens cruore?
Ceu tigris atrox littore Caſpio,
Aut æſtuoſis ſaltibus Africæ
Leæna ſævit, quam furentem
Per medias rapit ira cædes.

Quæ non necatos fœta premit viros
Tellus, & omnes illacrymabiles?
Miſerta quæ non gens laborum,
Imperiique gravis ruinæ?
Quà Tröis Eös abnurus exſerit
Bigas, Idumes eſt mera ſervitus,
Et cuncta terrarum ſubacta
Solis ad Heſperium cubile.
Civilibus dum (prô pudor & dolor)
Nos occupati ſeditionibus,
Quod geſſimus nomen decusque
Hoſtibus obruitur ſepultum.
Pauci reverſi pulvere bellico
Gaudent minaci murmure cornuum,
Sed fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus.
Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Elangüit: vis priſca remittitur:
Inutilem jactamus auram
Laudis & antè dati decoris.
Sectamur una mente libidines,
Vanosque faſtus, & Semelëii
Pro Marte lymphatos furores
A tenero meditamur ungue.
Tandem madentes (hoc ſcelus additur)
Inſanientis munere Liberi
Confundimus crateras inter
Prælia ſanguineasque rixas.
Hinc delicato dedita luxui,
Breviquc pubes mollis anhelitu
Evitat hoſtes, & probroſæ
Militiam ſequitur juventæ.
Vt ſic ab ipſo flore breviſſimos
Ætatis annos nequiter exigat,
Cogatur aut triſtem ſenectam
Degere, nec lacrymis carentem.

At

At interim Thrax asper acinace
Nostris ruinas urbibus ultimas
Impunè spondet, nè qua nostris
Opprobriis vacet ora mundi.
Armantur in nos æra Corinthia,
Priùs Scytharum sparsa cruoribus
Iugisque telum subministrant
Fraxinus Æmoniis recisa.
Novum minatur Græcia militem:
Classem minatur littus Achäicum,
Nos ocio quæ diffluentes
Excutiatque gravi veterno.
Hanc fabulosi saxa Capharëi
Suspecta Grajis, non mare Chalcidis
Submerget, Ægæoque sparsæ
Cyclades innumeræ profundo.
Non Tænarus, non ipse morabitur
Contrà ruentis ventus Iäpygis.
Aspirat hosti nam secundas
Pro meritis Deus ultor auras.
Sparsas Sicani gurgitis insulas
Iam navigantes, æquor Atlanticum
Petunt, Abilam transituri,
Et calidæ freta parva Calpes.
Vt Gaditanis & Baleäribus
Prædas agentes, terga domesticus
Miles lacesset, sive Cresso,
Sive mari velit Adriano.
Quid nos? an illis tendimus obvias
Pinus? an alto brachia remigum
Vrgemus? haud fervore tali
Res agitur, populique languor.
Vixêre bellis nuper idonei,
Et militari non sine gloria:
Fuêre tunc vectes & arcus,
Oppositæque rates Tyrannis.

Auri tenaces nunc malè cogimus
Magnos acervos, nomine pauperes:
Quò sævus exstructis in altum
Divitiis potiatur hostis.
O facta muto digna silentio,
Obliviosus vos pudor obruat,
Nè manet in seros nepotes
Opprobrium venientis ævi.
Mutata quantùm fama Quiritium
Fulgens Tonantis cùm Capitolium
Stetit, triumphatoque jura
Roma ferox tulit æqua mundo.
Cùm penè metas ad orbis ultimas
Solo tremendi nomine Cæsares,
Et fascibus victi togatæ
Terga dabant ferienda genti.
Nil fascium nunc efficiunt minæ:
Nil nunc secures: occidit, occidit
Spes omnis & fortuna nostræ
Laudis, & imperii vetusti.
Quis Sole fuscos Seras, ab ultimo
Quis imminentes orbe Quiritibus
Arcebit Indos, antè nostris
Militibus dare terga suetos?
Inhospitalem quis Deus Axenum?
Quis reddet altæ regna Propontidis?
Byzantii tristes ruinas
Quis reparabit, opesque lapsas?
Equis alendis quis dabit Hippium
Argos, vetusti non memorabile
Opus Phoronêi? quæ reducent
Arma Pelethronios jugales?
Nunc ora frenis subdita barbaris
Ægrè ferentes, & sua Concanis
Vectoribus, pictisque terga
Thyssagetûm phaleris premenda.

Arces fuerunt quas ſatus Atrëo
Rexit: fuerunt mœnia Cecropis
Diſjecta non leni periclo,
Taygetesque domus Lacœnæ.
Acceſſit olim navita liberè
Tumultuantis littora Boſpori,
Syrtesque Getulas, & Afros,
Quæque tumens rigat arva Nilus.
Mæotin ultra, quà Tanäis celer
Cadmi ſororem matre Promethëi
Secernit, explorare terras
Auſus Hyperboreo ſub axe.
Quas nunc pudendo ſervitio premens,
Miſsis in altum claſſibus occupat,
Incontinens multa triremi
Miſsilibusque Getes ſagittis.
Et quis cruenti finis erit mali?
Quis Marte Thracum proteret impias
Turmas, ab infanda Iſmaëlis
Progenie ſcelus omne doctas?
Non ſi reſurgat Carolus imperI
Auctor: reſurgat quintus ab Auſtria,
Qui victor æternos honores
Barbaricis meruit triumphis.
Quem verticoſi non furor æquoris,
Non terruit trux Afer, & Æthiops,
Iam claſse formidandus, acto
Marte ſuo è ſolio Tyranno.
Non ſi reſurgat, quæ generoſiùs
Vivat, juventus, nec muliebriter
Paveſcat hoſtes imminentes
Pro patria moritura laude.
Non ſi reſurgat quidquid erit virûm,
Et quidquid ætas antè tulit, queat
Damno ſeneſcentis mederi
Orbis, & imperii labantis.

Vide-

Videmus Atlas quàm malè, & obrutus
Armis Niphates ſuſtineant onus
Hoſtile, quàm duro laborent
Othrys Athosque jugo ſubacti.
Iunctos videmus Iazygibus Daäs
Parare noſtris fata Quiritibus:
Extraque præſcriptum Gelonos
Pannonicis equitare campis.
Omnes fatigant fulminis alitem
Cûi rex Deorum Cæſareum dedit
Sceptrumque Germanumque nomen
Vertice bisgemino tueri.
His reprimendis fortiter hoſtibus
Opus juvantis magna Iovis manus,
Bacchusque qui ſævo renatum
Supplicio cruciet Lycurgum.
Deſideramus tectum adamantino
Thorace Martem: Palladis ægida,
Phœbumque qui Thracem retundat
Auxiliante Sororis aſtu.
Deſideramus cedere neſcios
Heroäs acres DIs ſuperis pares,
Qui præferant aris focisque
Militiæ mala deſtruendis.
Virtusque Tulli nota requiritur,
Qui diſsolutos molliter ocio
Ad arma ceſsantes, ad arma
Concitet, excutiatque ſomno.
Hæc cuncta ſolus, ſumme Deus, potes,
Cûi quadriformis machina conditi
Inſervit orbis, conditumque
Numine qui regis unus æquo.
Sis immolata lenior hoſtia,
Gnatique mitis ſanguine tradito:
Reatibus tu parce noſtris,
Parce gravi metuendus ira.

Injurioso nè pede proruant
Parvas popelli relliquias tui,
Qui continenter te tuamque
Nocte dieque petunt salutem.
Compesce tantas, magne pater, minas
Telo trisulci fulminis alite:
Vel fractus illabatur orbis,
Quò reprobum feriant ruinæ.
Districtus ensis vel super impia
Cervice pendens, facta redarguat:
Vel mille blasphemum cohortes
Aligerûm juvenum trucident.
Sicut repressus dives Achæmenes,
Fretus Syrorum robore, non timens
Formidulosis te tuumque
Opprobriis onerare templum.
Quocunquè vertat se, tua numinis
Vindex eodem scandat & ultio,
Quò mentis atrox inquietæ
Carnificina premat fugacem.
Dum Dacus asper teque trement Scythæ,
Gentesque fines orbis ad ultimos:
Te corda regum barbarorum
Purpureique colent Tyranni.
Te vindicem, quà Sol habitabiles
Illustrat oras, suspicient tuæ
Ecclesiæ, ô tutela præsens
Imperii, dominæque gentis.
Sed quid relicto Musa procax scopo,
Nostro retractas nænia seculo
Ingrata? non hoc instituto
Conveniet, levibusque cœptis.
Ad vos revertor, quos simul ingenI,
Heroës ambo, fœtus adit mei,
Infantiam balbutienti
Ore suam, velut antè, prodens.

Vt

Vt ſi ſiniſtro natus Apolline,
Triſti ſub auras prodierit die:
Vel frigidi ſemotiores
Obſtiterint malè Solis ignes.
Saltem ſit illo ſidere lætior,
Veſtroque creſcat numine Principes
Feliciter, ſeramque veſtris
Auſpiciis videat ſenectam.
Nil dente livor detrahat, omnia
Severiori jure redarguens:
Nil expaveſcat quas inuret
Aſper Hypercriticus lituras.
Hoc magna veſtri gratia nominis,
Notusque, Fratres, efficiet favor,
Virtute laudem gloriamque
Sanguinis Hectorëi tuentes.
Nam pars cremato gentis ab Ilio
Iactata Tuſcis æquoribus, Phryges
Superſtites, Divaque natum
Pertulit Auſonias ad vrbes.
Pars acta Ponto, regna binominis
Invaſit Iſtri, pulſaque Thracibus
Aduſquè Cauchas venit oras,
Pro Phrygibus Phryſii vocati.
Tantùm vetuſtas imminuit, loco
Vt una vero littera ceſſerit:
Sed nil avitæ dignitatis
Occiderit, veteriſque famæ.



Epigramma
AD LECTOREM
De quatuor Belli Gigantei libris.

ACRES *Iliadûm pugnas ultróque citróque*
Duris cum Danais horrendo Marte peractas
Siquis scire volet, bis sena volumina vatis
Dardanidûm volvat: multis primordia belli
Nam diuturna refert, versutas scribit & artes
Et furias Danaûm, & miseranda excidia Troiæ.
Siquis at audaces pugnas montésque Gigantum
In superos non vidit adhuc, cupiátque videre,
Hosce terat libros variisgravibúsque refertos
Vocibus & rebus, meritò dicatur ut alter
Cum lauro viridi vates, vatúmque secundus.
Eia agedum Lector, gratos decerpito flores,
Sopitos curis animos, nimióque labore
Solari poteris: divûm reverentia quæ sit,
Atque scelestorum quæ sint tormenta videbis.


D. P. G.

Ejusdem in Sycophantas.

ALTERIVS *famam summa qui mittit ab arce,*
    Et rapido insontem distrahit ore virum;
Ocyus hinc fugiat vento, celeríque sagitta,
    Ni velit à claris exul abire choris.
Aut linguam discat fræno cohibere procacem
    Atque quod est nitida voce referre sciat:
Aut vituperii saltem monstretur origo,
    Delator vitii verus ut esse queat.



BELLI GIGANTEI LIBER PRIMUS.



ARma viróſque cano, Terræ omnipotentis alumnos,
Vi magna ætherias quondàm reſcindere ſedes,
Devictúmque Jovem ſuperis detrudere regnis
Aggreſſos, ſævæ memorem Telluris ob iram.
Tu rege conatus tantos, atque annue coeptis
Phœbe pater, primáque irarum ab origine cauſas
Tantarum memora, atque animis illabere noſtris.
Vos quoque Pïerides, ſit fas mihi numine veſtro
Pandere res alta vatum caligine merſas,
Quæque repoſta latent ſuperas efferre ſub oras.
Et tu noſter amor, parva quem Mincius urbe,
Mincius eduxit vatem, vatúmque parentem,
Adſis, ô, tandem, & tua per veſtigia euntem
Deſere nè, tenúique tuas in carmine vires
Inſpira, ardentes dum accingor dicere pugnas.
Non ea vis opis ingenitæ, non indolis hujus,
Ni faveas, noſtróque Maro te pectore verſes.
In primis animæ illuſtres, inſignia noſtro
Heroum decora ævo, hoc mecum evolvite bellum,
Non auerſati officij præſentis honorem.

Aspirate, precor, timido, cursúsque juvate
Incoeptos, pelagóque damus dum vela profundo,
Crebrescant optatæ auræ, portúsque patescat.
Tempus erit quondàm, lustris labentibus, ætas
Cùm matura viri seros indulserit annos,
Ut graviora feram, vestrásque juvantia mentes.
Postquàm res Cybeles, primíque evertere gentem
Oceäni visum Superis, & pulsus Ophion
Eurynoméque, Deûm imperiis ad Tartara missi:
Unus erat Coeli terræque æterna potestas
Juppiter omnipotens, genus alto à sanguine prisci
Saturni, totum primus qui legibus orbem
Subdidit, & fratrem contra nova bella parantem
Misit in imperium gnatum, fascésque receptos:
Ille, triumphatis victor Titanibus, arma
Jam desueta poli pro libertate movebat,
Regnáque constituit, crudeli Marte subactis
Gentibus innumeris, supra Garamantas & Indos,
Aureáque evicto reparavit secula mundo.
Sola parens Tellus ira irritata Deorum
Jam pridem, & longo nec-dum exsaturata dolore,
Tristia molitur Superis infensa, Jovísque
Successu dolet, & felicibus invidet armis.
Ingeminant curæ: manet alta mente reposta
Titanum strages, tantíque injuria belli.
Tympana nil buxúsque juvant, Corybantiáque æra:
Idæi juga non montis, non Dindyma cordi:
Non Curetis humus centum digesta per urbes
Delectat tales jactantem pectore curas,
Quam tamen, ut fertur, terris magis omnibus unam
Posthabito

Posthabito coluit Cybelō. hîc cymbala primùm
Inventa, & tacitis servata silentia sacris.
Bellum animo movet, hoc fixum immotúmque volutat,
Ultorémque iterùm sperat, qui dedecus armis
Expiet illatum: qui rupe Promethea fixum
Eripiat Scythica, volucrísque immanis ab ore:
Assiduis tantùm immortali corde diebus
Tundentis, quantùm brevior mora nocte reponit,
Omnis in illius caræ stat cura parentis
Supplicio, vellétque Deos qui vertice fulcit,
Axem humero torquens, oneri succumbere Atlas
Miscerétque sua coelúmque Erebúmque ruina.
His commota super, magnóque incensa dolore,
Talia flammato effundit de pectore dicta.
Heu cœlum invisum, & satis contraria nostris
Fata Jouis: num, cùm primò prodiret in auras,
Ingluviem pauisse patris, lethóque futurum
Prævertisse nefas potuit? num deinde seniles
Insidiæ, sceptríque timor nocuêre? coactis
Millibus an Criúsque acer fortísque Hyperion
Effecêre aliquid? fauces artésque per ipsas
Arte viam invenit: se fraudibus ipse Prometheî
Eruit, ut toto narremur fabula coelo.
Nunc quid agam? gnatósne semel densa priores
Ulciscar? poteróne iterùm me offerre periclis?
Possem equidem, ast aliud vereor: nam notus Adulter
Cum spuriis tenet imperium, atque accumbere Divûm
His epulis donavit, & insuper addidit astris.
Parrhasis hinc Arctos, matérque Lycaône creta
Successêre polo, claróque in lumine Perseûs:

Quáque novus Tyriis aperitur cornibus annus
Oebalidæ gemini, & metuendæ Atlantides ortu.
Illinc ense minax vicinos territat Austros
Orion, centúmque alia atque biformia monstra.
Quid referam imbellem sexum, atque ignobile vulgus
Caßiopen, Danaësque nurum, atque Hyadas pluviosas,
Totque nothos, & scorta Deorum in jura recepta,
Omnes quæ vetitum Jovis ascendêre cubile.
Nos sperata seges vacuis eludit avenis.
Ipse scelus patrio exutos Titanas honore
Fulmine sub Styga detrusit: Saturnia turpes
Ulta toros sæuis Iô exercuit oestris:
Mœsta soror Pelopis natorum funera cernens
Marmore diriguit: Pythonem sternere Phœbo
Poße datum, atque inimico à sanguine sumere pœnas.
Pellice quod tantum scelus est, sacrísque negatis?
Quid potuit, dum jußa facit, meruiße Typhaon?
Ast ego magna poli conjux, & prima Deorum,
Nil poßum infœlix: illi Cocytum, Erebúmque
Terribilémque movent Acheronta, nefásque parentis
Auspiciis requièsse Jouem, ni quidquid vbiquè est
Sub ditione premat, devictóque imperet orbi:
Non cœlum rapuisse satis, ni & perfidus Indis,
Hyrcanísque, Arabísque paret lacrymabile bellum.
Nos spes vana tenet, regnúmque fovemus inane.
Tales illa suo rumpebat pectore questus
Tristior, inque nemus Phrygium indignata refugit,
Multa movens, nullámque dedit per membra quietem.
Præcipuè magni Aimonis, fortísque Meno & I,
Atque Anyti casum indignum, & crudelia secum

Fata gemit Crii, atque Epimethea luget ademtum:
Quámque cupit placida ut composti pace quiescant,
Tam vellet, possent iterùm se evolvere ab umbris,
Aut ipso posuisse animas in limine vitæ.
Spes sed adhuc superest: Nam ex se labentibus annis
Venturam, auxilio quondàm omnipotentis Olympi,
Progeniem, excidio Superis, sic volvere Parcas
Audierat, sacras quæ cœli everteret arces.
Ergò diversis per noctem exercita curis,
Proposuit sibi manè preces descendere in omnes,
Et pectus tentare viri, defessa relinquat
Nè quid inexpertum, aut animos submittat amori.
Talibus intentam, vatum monumenta priorum
Dum legit, & quidquid Phœbo cortyna loquente
Prodidit, insomnem Pallantias invenit Eos,
Primus ubi summa surgebat Lucifer Ida,
Ducebátque diem miseris mortalibus almam.
Illa rotas currúsque parat, frenísque leones
Impedit, útque magis posit placuisse marito,
Regalem ex humeris chlamydem suspendit, acúque
Pictum opus induitur, fundítque per ora ruborem
Candida purpureum. Ceu fœmina Mæonis ostro
Tingat ebur, niveóve crocum intertexat amictu.
His juga montis adit Phrygii turbata, virúmque
Suppliciter petit, & vultum demissa modestum,
Alloquitur, lacrymas verba inter singula fundens.
Gnate toríque simul consors, mea sola voluptas,
Ad te confugio curæ casúsque levamen
Solus enim infandos poteris lenire dolores.
Scis certè quàm me miseram sors improba verset,

Cùm primùm infelix Lucinæ experta labores:
Quid Divûm perjura cohors, qua fraude nepotes
Exuerint regno, & rerum sibi sumere habenas.
Contra júsque fidémque ausi, sceptrísque potiti
Urit atrox factum: sedet alto pectore vulnus,
Coeptáque concedit placidam vix ira quietem.
Ipsa meos hausi cineres, hausi ipsa cruorem
Gnatorum, & moestum præbere coacta sepulcrum.
Sic thalamos celebramus, & incoeptos Hymenæos.
Demens, heu, placuit tibi cùm servire marito,
Dotalésque tuæ terras permittere dextræ.
Dulciùs, heu, prolem, Veneris nec gaudia nôsse,
Expertémque tori lætam extraxisse juventam.
Prisca queror: vereor quò se Saturnia vertant
Pectora: nam dudum subolet mihi tanta potestas,
Aut ruitura, aut altiùs erectura superbos
Ingratósque animos. sine nulla potentia fastu.
Quod tamen inferníque lacus, alta ostia Ditis,
Pallentésque Erebi manes, túque optime conjux
Verte malum, & propiùs generis res aspice lapsas.
Nam, modò vera canunt afflatæ numine sortes,
Præscia me veterum firmant oracula vatum,
Atque orbis dominam prolem, rerúmque potentes
Promittunt populos, qui nos in sceptra reponant.
Sustinui hac equidem spe mentem animúmque labantem:
Effice tu nè me dubiam sententia fallat:
Et merui: per me conjux nam vesceris auram
AEtheram, per me simul es gnatúsque patérque,
Téque ipsum generas, geminato ut foedere noster
Crescat amor, socii crescat fortuna cubilis.

Per te

Per te ergò, & nostrum nunquàm delebile numen,
Virgineásque oro vittas, ignésque perennes,
His, si notus amor, si quid connubia mentem
Coepta movent insta, gremióque illabere nostro,
AEternúmque genus, spem posteritatis, & alti
Progeniem ultricem coeli da maxime conjux.
His lachrymis dubium priùs inflammavit amorem,
Inflexitque animum: non auersatus ab alto
Conjugis in gremium foecundis imbribus AEther
Descendit, magnóque immistus corpore, Vestam
Molliter amplexus, fudit per membra soporem.
Illa dolis gaudet, maternáque tempora complens,
Progeniem horrendam sub luminis edidit auras,
Omnes Terrigenas, omnes immanibus ausis
Aggressos domito Superos excludere Olympo.
Tristior haud illis, dum res stetit integra mundo,
Pestis in hanc lucem Stigiis sese extulit undis.
His Furiæ cedant, atque agmina sæva sororum,
Lurida quas poenis Hecate præfecit Avernis:
Ipse Erebi cedat custos, pelagóque creatæ
Virgineæ volucrum facies, & belua Lernæ,
Quos & inane Chaos tenebroso Acheronte creavit,
Terribiles uisu formas, Ditísque ministras.
Intereà secura Jovis Berecynthia mater
Læta virûm partu, successu læta secundo,
Imperium terris magnóque affectat Olympo.
Moliri iam bella manu, iam fidere pugnæ
Audet, & egregia totidem de stirpe nepotes
Promittit sibi, qui perfecto temporis orbe
Supra omnes virtute Deos armísque resurgant.

Hac ſpe corda fovens, hac capta cupidine regni,
Conventus venit in medios, ubi pinguia purus
Irrigat arva Melas penitùs convalle virenti.
Protinùs acciti ſtrepitu ſimul undique magno
Terrigenæ coëunt: fremit omnis murmure campus,
Vicinúmque nemus, refluitque exterritus amnis.
Illa capit tumulum, undè omnes longo ordine poſſit
Illuſtres animas, magnúmque in nomen ituras
Titanum legere, & certam ſpem diſcere vultu,
Quæ ſit cûique animo cœpti fiducia belli,
Conticuêre omnes, & facta ſilentia linguis:
Indè parens Cybele tumuli ſuper aggere totum
Concilium circunſpiciens, his vocibus infit.
Vos, mea progenies, coeli quibus annuit arcem
Fatorum ſeries, & ſtamina fixa Sororum:
Nunc olim quorum auſpiciis iterùm aurea condens
Secula poſteritas, victis dominabitur aſtris:
Quæ modò Titanes (veſtras ſi fortè per aures
Nomen iît Titanum, & notæ injuria cædis)
Omnia ſub pedibus lata ditione premebant.
Non illo majus, vaſtóque potentius orbe
Imperium toto Sol aſpiciebat Olympo.
Sed meminiſſe dolor prohibet, luctúque refugit,
Coeleſtes ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Superi: longa eſt narratio, longæ
Ambages: ferus in ſceleratos Juppiter omne
Tranſtulit imperium ſpurios, & ad infima miſit
Tartara Titanas fratres, quos propter & ortus
Nunc odit veſtros, totámque ab origine gentem.
Sed cùm fata novis promittant ducere bellum

Auſpiciis,

Auspiciis, superásque domos, fataliáque astra
Imperio subdant, vos hæc in fœdera natos
Eduxi, fratrum quò continuare labores
Poßitis, nostrásque animi componere curas.
Imperjuratæ testor stagna alta paludis,
Non venti cujus jurare & fallere numen
Egregius cum prole senex, hæc regna domósque
Eße mihi proprias sedes: his author Ophion
Eurynoméque fuit, quæ regnis exsul ademtis
Arma Rheæ fugiens, patriis se immiscuit undis.
Nunc ea regna manent, & nostros sceptra nepotes
AEternum, & sine fine: nec illis tempora, rerum
Nec posuit metas favor omnipotentis Olympi.
Sed scelus hæredem exclusit: tenet astra Tyrannus:
Dedecus hoc, mea progenies, patiere, Jovíque
Nostra peregrino transcribi sceptra, vetustis
Tradita avis atavísque? in regnum admittitur hæres
Externus, sibi qui rapuit vi, fraude, dolóque
Imperium, fusóque extorsit sanguine fasces?
In caßúmne animæ tot fratrum morte jacebunt,
Ausæ omnes patrium per vulnera quærere cœlum?
Gratia non facti, non vos hæc cura remordet?
Hoc Juno velit, & magno mercetur adulter.
Creditis ánne etiam manes sperare sepultos
Fraternas acies, & debita jura parentum?
Imperium quale, & quæ surgere regna viderem
Robore conjuncto, & fratrum comitantibus armis,
Hoc igitur volo: vos iterùm fraudísque dolíque
Sentiat ultores, atque experiatur in armis.
Vel, si tantus habet mentes & pectora terror,

Me quocunque priùs miseram consumite letho:
Si pereo, Superis me non periisse juvabit
Talia, inexpletum lacrymans, effundit, & orsis
Substitit in mediis. Cuncti simul ore fremebant
Terrigenæ, & dictis commoti erumpere in altum
Jam dudum ardebant, gratámque exposcere pugnam.
Omnibus idem animus Superos insurgere contra
Securos, veterésque redintegrare labores.
Ipsa inter medios invecta leonibus instat,
Sanguineam torquens aciem, tum colla capútque
Turrigerum quassat, furiísque accendit, & iras
Exacuit, cœptíque serit noua crimina belli.
Nec satis immanes Terra irritauerat ausus,
Adsunt Tartareis excitæ sedibus, atra
Nocte satæ Eumenides, grave & implacabile numen,
Quas idem dolor iratas curæque coquebant
Perpetuæ, cœlum propter lucémque negatam:
Illæ augent furiale malum, penitúsque medullis
Vipeream inspirant animam, fallúntque veneno.
Non latuère Jouem fraudes Telluris & iræ,
Ingentésque alto volvit sub pectore curas,
Haud fati ignarus, quo tristia bella parari
Unius ob furias toto cognoverat orbi,
Parcarum nec posse trium decreta revelli.
Ergò animum in diuersa rapit, pérque omnia versat,
Sollicitus quid tanta ferant incendia belli,
Humanúmque genus mortaliáque arma tremiscit.
Quò tamen immanes quæ causa accenderit iras
Rectiùs inquirat, qua spe paret arma, nefandis
Quid struat incœptis Tellus, cœlúmque lacesset:

Mercu-

Mercurium acciri mandat, Zephyrísque vocatis,
Ire jubet Peneî primos ad fluminis ortus
Quæque Canastrææ sunt proxima littora Phlegræ.
Ut cùm prima dies lustrárit lampade mundum
Quæ loca terrigenæ teneant, hominésne feræne
Gentis in auxilium veniant, exploret, & omnes
Vestiget saltus, Superísque exacta reportet.
Arcas jussa patris parat, & talaria plantis
Aurea, quæ vectum ventis per inania portant,
Induit, & magnis tranat clangoribus auras.
Prosequitur surgens à tergo ventus euntem,
Intendítque Notis celeres felicibus alas.
Jámque per AEthiopas, pluvio devectus ab Austro,
Transierat Thebas, & nigri Memnonis arces,
Cúmque Parætonio calidas Mareotidos undas.
Segnior auditur sedato murmure Nilus,
Aërióque Casos se vertice nubibus abdit:
Est post terga Pharos: terræque urbésque recedunt,
Effugiúntque aciem: cœlum undiquè & undiquè pontus.
Nusquàm terra patet: subitò cùm vespere ab atro
Consurgens Boreas sese contrarius offert,
Emittítque hiemen, tempestatésque sonoras,
Ne meminisse viæ possit, retróque coactum
Excutiat cursu stridens Aquilone procella.
Mercurius contrà nunc huc nunc vertitur illuc,
Obliquátque sinus pennarum, ut tendere contrà
Possit, & adversas eludere flexibus auras.
Tentatum succedit opus, longéque jacentes
Despectat terras, liquidísque supervolat undis.
Cyprus habet dextram, Minoia regna sinistram:

Carpathus & Rhodos in medio, geminæque Calydnæ.
Pone Lebinthus adest: hinc Melos & alta Cythera:
Indè ferax Anaphe, cretosáque rura Cimoli.
Illic Myrtoö jacet Astipalæa profundo:
Hìc domus Eurypili, Herculeo direpta furore,
Laomedonteæ postquàm perjuria Trojæ
Ultus, & hospitio Coáque repulsus arena.
Nec procul Icariis aperitur fluctibus Andros,
Acteóque sinu tellus, ubi Juppiter olim
Luserat AEginam falsis Asopida flammis.
Nulla sed Arcadia succurrit gratior ora,
Quà sibi prima puer natus cunabula legit,
Primus & insano Dryopis succensus amore.
Sæpiùs hanc flexo post tergum respicit ore,
Et fors omne datum traheret per talia tempus,
Maturare viam ni magni jussa parentis
Urgerent, monitúsque moras suspenderet omnes.
Jámque volans apicem procul alti cernit Olympi,
AEmoniásque nives, & celsa cacumina Pindi:
Cùm subitò mugire solum, visúmque sub altis
Montibus audiri fragor, & resonantia longè
Murmura misceri, & toto increbrescere cœlo
Armorum sonitum: sonitum Deus auribus haurit
Jam propior certum, & pulsa caliginis umbra,
Ecce Typhoeos habitus, suspectáque cernit
Arma procul: primo aspectu conterritus alas
Sustinuit, cupiénsque oculos explere videndo,
Miratur molem ingentem, auditúque tremendam
Impexámque comam, & pendentes pectore crines.
Nuper ut Hesperias gentes pérque æquora vectas

Barba-

Barbatas hominum facies stupuêre Cacicûm
Barbara gens, procul à nostro disjuncta Boöte
Et matutino Phoebi surgentis Eoö.
Tandem Terrigenas, dum singula lumine lustrat
Rectius, agnoscit turmas, metuénsque pericli,
Obscuris circùm nebulis atque aëre septus,
Infert se, totámque avidus cognoscere gentem,
Per medios graditur cuneos, neque cernitur ulli.
Omnes, arma fremunt, omnes simul arma requirunt,
Sollicitántque urbes bello, Martémque fatigant.
Nec mora, correptis concurrunt undiquè telis,
Argos, & Ormenios, Pagasæáque littoris ora,
Phyllacidæque viri, Meliboeáque rura tenentes:
Vósque Pheræ, Ceteríque tuos qui Pyrrhase lucos
Relligione sacros habitant, & moenia Boebes,
AEquoreámque Antrona, & Phthiã, & Hellados urbes
Quíque Cyphon liquêre, & pulcra fluenta Pharybi,
Methonésque domos: Superis movet undiquè bellum
Vulgus, & Emathiæ totis discurritur oris.
Maximus Eurymedon primus de stirpe Phalacri,
Jam senior, sed adhuc cruda viridíque senecta,
Tercentum adducit pedites, lectißima pubis
Robora, se regem patria tellure sequutos.
Mille viros turrita Same, subjectáque jungunt
Littora Dulichii: centum nemorosa Zacynthos
Expertos belli juvenes, sudibúsque præustis
Expedit armatos: totidem scopulosa ministrat
Neritos: hos Taphii paribus comitantur in armis.
Tum necdùm mediis Achelöus Echinadas undis
Fecerat: erepto nec adhuc Perimela pudore

Senserat offensas patris Hippodamantis, in altum
Præcipitata fretum: non navita noverat ambas
Antiquo Strophadas dictas cognomine Plotas.
Quæ tamen intonsæ nymbosa cacumina servat
Gens Ithacæ, scopulis & duro robore nata,
Ingenita arma parat feritate, altúmque reductis
Convellit remis, rostrísque tridentibus æquor.
Porphyrio Alcyoneûsque pari virtute sequuntur,
Sisyphidæ fratres, sævi patris impia proles,
Contemtrixque Deûm. quibus omnis Achaïa promtis
Viribus addit opem, bellóque Menesthius acer,
Virgine Cymothoë & genitore creatus Araxo:
Quíque Helicen, Burámque, & oliviferam Sicyona,
Turrigerámque habitant AEgiram, & prima superbum
AEgion ostentans Jovis incunabula nati.
His se addunt comites vicinum Apesanta colentes,
Quos Erasini altis Tellus produxit arenis:
Quique Cleonæi Nemeæ sub rupe leonis
Sanguine progeniti, contis sylvestribus omnes
Velleribúsque horrendi atris, scutísque salignis.
Ponè duo juvenes, cœlo metuenda propago,
Terrarúmque timor, magna virtute sequuntur:
Iphimedia simul quos est enixa gemellos
Thessalicas inter forma celeberrima matres.
Hanc genitor, primis esset cùm nubilis annis
Intactam dederat, sævóque jugarat Aloëo:
Quam simul ac magni domitor Saturnius alti
Vidit, & incaluit simul, & succensus amore,
Vulnus alit venis, insano saucius igne.
Quid non cogis amor? certum est tentare rapinam,

Aut

Aut versare dolos, aut vim simul addere fraudi,
AEstus erat, steriles cùm exurit Sirius agros,
Et medium Phoebus cursu trajecerat axem.
Illa domo patria solo digressa marito,
Nympharum densa circùm stipante caterva,
Flumina nota petit, positísque in littoris ora
Vestibus, & leviter primùm conspersa liquore,
Nuda sinus, totam gelidis se mergit in undis.
Thessalides circunfusæ per gramina pictis
Floribus insidunt: pars candida lilia carpunt,
Sertáque contexunt: veteres pars cantat amores:
Pars choreas plaudunt, plausum nemora alta remittunt,
Non latuit res nota Deum, nullóque tumultu
Accelerat furtim, faciémque indutus Enipeî,
Multa malus simulans, densa latet abditus ulva:
Mox se nube cava & tenebroso involvit amictu,
Riparúmque toros nebula circundedit atra,
Cernere nè quis eam, nec se quis prodere possit.
Nuda sed insidiis, cæcáque exterrita nocte,
Horruit ingenti subitò Iphimedia timore,
Atque diu luctans, ulváque morata sequaci,
Vimina dum genua impediunt, gressúsque retardant,
Non potuit fixas alga conuellere plantas.
Tum terrore tremens, famulas simul invocat omnes,
Auxiliúmque rogat: meus est ubi, clamat, Aloêus?
Vim patior. Deus at contrà: non vim sed amantem
Nympha feres: nè te Neptuni amplexibus amens
Subtrahe: parce fugæ. precibúsque inflectere nostris.
Talia commemorans, celeri volat ocyor Euro,
Nec essat, donec se victa voléns que remisit,

Infusúmque sinu pulso complexa pudore.
Utque magis tegeret temerati jura cubilis,
Patris Aloïdas natos de nomine dixit,
Omnia Orioni similes insignibus armis,
Et fortes animos, & membra decora juventæ,
Cùm nondùm primis decimum natalibus annum
Addiderant, Graji veluti meminêre Poetæ.
His sese adiungit genitor, sed falsus, Aloêus,
Solis & Antiopes divino semine eretus:
Boeotásque acies, totámque in bella coactam
Ocaleam rapit, & longam Mycalesson & Hylem,
Thespiæque viros, priscámque Eleöna colentes,
Cúmque Coroneis fortes adducit Erythras.
Venit & Alcathoi auxilio pulcerrima proles
Delius Oromedon, Vestæ qui jussa sequutus,
Liquerat Ortygiæ portus, terrásque propinquas:
Primus & Euboïcum permensus classibus æquor
Per mare Penejas primùm est advectus ad oras.
Olli mille viri, numerosáque turba clientum,
Grandævúsque Thoon, clarúsque inservit Apathor:
Quíque Paron niveam, Carthæáque moenia Ceæ,
Oliarónque colunt, vicináque littora Cynthi,
Et Claron, & Naxón, Cyaronque, Seriphon, & Iön.
Subsequitur Cretæa manus, validæque cohortes,
Idæi quas rure patres, turritáque Phestus
Misit, & egregiis celebris Marathusa colonis:
Omnibus ex humeris splendentes ære sagittæ,
Lethiferíque arcus pendent, Gortyniáque arma,
Maximus his præerat Saturni nominis hostis,
Junctus Aloidis cognata stirpe Milinus.

Nam

Nam commune genus se sanguine scindit ab uno:
Neptunus genuit Megaphætum, illóque Milinum,
Mista viro aëria Dictæi in rupe Cadisci,
Edidit Alciroë prope flumina Cerathea.
Ausus & infidum remis impellere marmor
Besbicus, armatas deducit in æquora classes,
Besbicus ingenio qui se jam fata putabat
Subjecisse suo, & non exorabile lethum,
Dum studet eventus dubio prædiscere cœlo,
Assiduéque astrorum obitus speculatur & ortus.
Ille vehit secum genus insuperabile bello,
Terrigenásque viros, quos tota Propontidis ora,
Totáque Threici miserunt littora tractus,
Usquè sub infames Helles Athamantidos undas,
Sestos ubi contrà posito respondet Abydo.
Sed frustrà tacito labentia sidera cœlo,
Astráque servarat nil sævi conscia fati:
Non patiens operum, bellísque aßueta juventus
Eripuêre ducem instantis discrimine mortis.
Nam subitò rigidum furiatæ Palladis ira
In lapidem versus, medio jacet insula ponto,
Nomina prima tenens, circúmque feritur ab undis.
Eminet ante omnes immani mole Typhoëus,
Monstrum horrendum, ingens, centum cûi corpore ventres
Et numero totidem cœlo capita ardua surgunt,
Omnia vi flammæ, linguísque armata trisulcis,
Ne sonet humano vox formidabilis ore,
Sibilet at graviter circùm spirantibus hydris.
Atra fluit mento illuvies, hirsutáque barba,
Impexísque cadunt nati de crinibus angues.

Terga rigent squamis, centenáque brachia jactat:
Alta velut quercus, vel coniferæ cyparissi
Ingentes cœlo ramos & brachia pandunt.
Dextra coloratis longè manus imminet Indis,
Pallentes Oriens quà primùm discutit umbras:
Læva sed Oceäni fines pertingit Iberos,
Fessus ubi rubro T.tan lavit æquore currum.
Pube tenus nulla humanæ vestigia formæ,
Turpiter at ventres, & corporis horrida moles
Desinit in caudam longam serpentis, & atram
Verrit humum, spirísque ingentibus implicat orbes.
Singula Mercurius memori sub pectore condit,
Longiùs & metuens inimica in gente morari,
Ad cœlum paribus rursùm se sustulit alis,
Visa patri referens: nullis tamen ille movetur
Terrigenûm Terræque minis, Superûmque vocari
Concilium cœlo jubet: Arcas jussa capessit.
Tectum augustum, ingens, cœli in regione serena
Sidera Phœbeásque vias supra emicat, omni
Parte auro radians, centúmque immane columnis.
Imminet hic intùs Solido ex elephante Tonantis
Regia, quam pulcra illustrant testudine postes
Aurataeque trabes, veterum decora alta Deorum,
Omnia regifico luxu: quæ subter utrinquè
Area lata patet, variísque instrata tapetis
Effulget, radiósque vomit laquearibus aureîs.
Devicti hinc currus, foribúsque affixa superbis
Scuta virûm pendent, pugnati insignia belli.
Illinc exuviæ hostiles, spolia inclyta, & arma
Parjetibus radiant pictis, quibus æreus Acmon

Suetus

Suetus erat cœlum contra pugnare, senémque
Dejectum patriis Saturnum cogere regnis.
Circùm crebra vacant, atque atria longa patescunt
Consessu in caveæ, centúmque sedilia fulcris
Nixa suis, totidem dependent fornice lychni.
Maxima sed pictis est gratia rebus, & omne
Fulget imaginibus non enarrabile tectum.
Illic Titanum veteres ex ordine pugnas
Fecerat Ignipotens, magnum & memorabile bellum,
Résque Jovis gestas, Saturnigenûmque triumphos.
Ipse senex curvam servans sub imagine falcem
Primus erat, cedro antiqua cœlatus & auro.
Emathii juxtà saltus, quos inter amore
Captus, equo Phyliram premit, exceptúsque dolosæ
Conjugis insidiis, hinnitu Pelion implet.
Hunc post progeniem egregiam, factísque celebres
Lemnius extuderat fratres, Plutona, Jovémque,
Neptunúmque maris dominum, pelagóque potentem.
Omnibus ad vivum expressi vultúsque, colórque:
Ille tenebrosam cinctus caligine frontem,
Obscuras sine sole domos, regna invia vivis,
Imperio premit, atque animarum crimina discit.
Æquore Neptunus fluit: udam ventilat aura
Canitiem, glaucúsque humeris dependet amictus.
At pater omnipotens mediis effulget in astris,
Sceptra manu flammásque tenens. scelerúmque coërcet
Fulminibus furias, rectúmque tuetur & æquum.
Hinc triplices Triviæ vultus, ínque Oenea sævit
Ira Deæ, & dentes Calydonius exacuit sus.
Illinc bis geniti sunt incunabula Bacchi,

Virtutésque Dei, atque armis ingentia facta:
Ipse capistratis sedet altus tigribus, omnes
Quem circum Auroræ populi, virésque Orientis
Devictæ assurgunt: prius indignatus Hydaspes
Mollior it, Gangésque Deo se subdit & Indus.
Quin etiam Tyrrhena ratis, mirabile visu,
Explicat antennas & circum carbasa vites,
Humana non arte satas, hederásque comantes,
Attoniti nautæ rerum novitate, recurvis
Puppibus exsiliunt, hæréntque labantibus omnes
Assimiles, fictíque natant Delphines in orbem.
Indè Dryantiades sæva cum falce Lycurgus
Cernitur, & cælo Alcithoën se credere aperto,
Nulla licet toto sit corpore penna, nec ales,
Nec fera sit: miro tamen it per inane volatu.
Parte alia occurrit Divæ Junonis alumnus,
Grandibus effulgens squamísque oculísque Typhäon:
Hunc domat, & flava multa vi extendit arena
Dejectum Arcitenens: sanie olli immania frustrà
Colla tument, vastósque expandunt guttura rictus.
Additur his etiam, ut cælestûm exutus honore
Paverit Admeti per devia rura juvencos,
Præ reliquis unum poteras cognoscere Phœbum,
Aurea cæsaries olli, lauróque corona
Nexa comas, cytharámque movet non segnis eburnam.
Ad numerum saliunt Nymphæ, risúque soluto
Versibus incomtis ludunt, & carmina dicunt.
Ipse aures, multa velatus arundine crines,
Arrigit Amphrysus, Faunos juveniliter inter
Lascivire senex cupiens, Dryadúmque choreas.

Indè

Indè omnes Superi, & Cælestum turba minorum.
DIque Deæque omnes fulgent longo ordine: solus
Partem opere in tanto Mars non habet: illius arma
Virtutésque silent, pœnásque expendit adulter.
Hæc omnes coëunt ad limina, quotquot ubiquè
Terrarum imperium exercent, & jura subactis
Gentibus æqua ferunt: aderant ter dena Deorum
Millia, tercentúmque Joves, quibus omnibus aræ,
Omnibus immensum delubra erecta per orbem,
Visceribúsque hominum, cæsáque bidente litatum.
Hic quos tardus Arar coluit, Renúsque bicornis,
Extremíque hominum Morini, rigidíque Borussi:
Hic quos Gangaridæ, quos Nilus, & altus Orontes,
Quos Nomadum genus, incinctíque caloribus Afri,
Totáque thuriferis Panchaia misit arenis.
Quàm varii linguis, habitu tàm dispare Divi.
Non Dusarus Arabs, non Eleus Myiagros,
Sigaliónque AEgyptius, & latrator Anubis.
Jussa Jovis, Grajo nec cum Bove vacca recusant.
Threicius non Velsurus, Phœníxque Thaautus.
Et Cilicum Cabrus reddens oracula terris:
A quo Asiæ populi, & Tauro vicina Phaselis
In dubiis responsa petunt certissima rebus.
Nulla tamen pecudum fumant altaria fibris,
Tergoribûsue boum, aut cæsis de more juvencis:
Non sacra Mæonii libant carchesia Bacchi,
Panchæísve inopes adolescunt ignibus aræ.
Pocula dant fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina, & è scatebris electro purior amnis:
Sunt sale conditi pisces donaria tanto

Digna Deo, nulláque superstitione litatur.
Porrum & Cæpe aberant: radiis nam Sole Leonis
Signa premente suis, immensa licentia Nili
Obruerat Pharios effuso flumine campos,
Ne parere Jovi possent caput imbre gravati.
Ergò quotquot erant, jussu patris, accipit amplis
Porticibus, stratísque jubet discumbere Phœbus
Aulæis: quos non cœpêre sedilia, certo
Constituit pro sorte loco genitoris & ortus.
Juppiter ipse sedet media inter numina Divûm,
Subnixus solio aurato, quo sidera, & altum
Velivolum, quo facta hominum, terrásque jacentes
Despicit, & nutu subjectum temperat orbem.
Illum suspiciunt, illum admirantur, & ore
Attonitísque inhiant animis, quæ causa serenos
Mutarit vultus, tantas quæ accenderit iras.
Vidit ut intentos, arrectísque auribus omnes,
Ter sceptrum quatiens, Divûm agmina circunspexit,
Térque movens illustre caput, sic farier orsus.
DI cœli indigetes, variísque exercita fatis
Numina, quos eadem exitio fortuna reservat,
Nè quandò regno, aut optata luce fruamur.
Nunc iterùm veterem nova res oblata timorem
Auget, & obductum verbis vulgare dolorem
Cogit: at auditum cunctis rumore, nec ulli
Obscurum, notúmque furens quid fœmina quærat,
Quæ mare nunc terrásque metu cœlúmque fatigans,
Sævit inexpletum, & vi spes affectat easdem,
Quas tunc, cùm cœlo immisit Titanas aperto.
Insanam: quid si non sceptra aliena polúmque

Speraret

Speraret vetitum, & Titania regna manerent:
Regnáne commoto peterentur debita bello?
Non armis iter ad cœlum at ratione paratur.
Scilicet hic labor est, ea cura recursat, ut orbem
Æternum regat, & nostro succedat honori
Progenies nova, nec priùs ulli Deorum:
Exitium in cœli, quam nuper cautibus atris
Edidit, haud nostri generis, neque sanguinis huius.
Vos rerum testes: quid in hanc committere tantum,
Quid potui, nullum ut capiat discordia finem.
Non equidem solos tangit dolor ille Gigantes,
Non solos ea cura domat: conjungit & illis
Se mortalis homo, quem nostræ stirpis & ortus
Extudimus DIs aßimilem, cùi insevimus ignem
Simplicis auraï, mentémque æquavimus astris
Effusus labor omnis, & irrita cœpta, nec vsquàm
Relligionis amor cœli hoc spirabile lumen
Cernitis extinctum, diviníque ætheris haustus:
Terrenámque animis viventûm inolescere labem.
Cœlicolûm despectus honos: temeraria rident
Murmura, & haudquidquàm, cum terras fulmine quaßo,
Méque meámque manum horrescunt, aut nubibus ignes
Terrificos: metam impietas exceßit, & ultrà
Quò procedat habet scelerum vix cæca cupido.
Nunc liquidi iactura ignis, furtúmque Prometheî:
Nunc patris impietas nostras exercuit iras.
Et quis finis erit, quandò mecum aspera Tellus
Cœlestes rerum dominos, gentésque fovebit?
Numquámne æterno firmabit fœdere pacem?
Non illi imperium cœli terræque jacentis,

Sed mihi ſorte datum: tamen hanc, ne ſorte careret,
Munere conceſsi, æterno devinctus amore
Hìc regat, hìc dulci aſpirans hyacinthus in umbra
Accipiat gremio, hìc genialis amaracus illam
Floribus invitet: noſtra ſibi temperet aula.
Nec metus eſt, veſtrûm modò ſit mihi certa voluntas,
Quum nunc qui coëunt in me, excidiúmque meorum,
Supplicia expendant: poſthac nè Marte quietos
Sollicitent, bellòque viam ſuper æthera ſternant.
Sic pater omnipotens, intentis omnibus, vnus
Fata retexebat cœli, verbísque quievit.
At mentes Superûm ſubitò pauor occupat omnes,
Scinduntúrque metu ſtudia in contraria Divi.
Pars hoſtem adverſus ſtricto decernere ferro,
Pars terrore fugam ſuadent, vltròque ruendum
Cœruleum in gremium, latebroſáque flumina Nili:
Hócque volunt eſſe in fatis: alij ora tenentes
Fixa ſolo reticent: alii diverſa tumultu
Murmura clamoréſque per atria longa volutant
Non tulit has turbas, dextráque ſilentia juſsit
Vertice nata Jovis, cunctiſque tacentibus infit,
Non ſic æterni ſtirps immortalis Olympi:
Nè trepidate animis, tantáſque excludite curas:
Ardua ſunt equidem patrio quæ incumbere cœlo
Cernimus: abjectis tamen haud diffidite rebus:
Conſilia in melius, fratres, referenda, nec hoſtis
Auditus fugiendus, at experiundus in armis.
Imminet haud cœlo, nec adhuc unius ob iram
Prodimur, aut ſemel obſeſsis excludimur aſtris
Tu prohibere minas, taléſque avertere caſus

Magne potes genitor: tibi fortunásque animósque
Subjicimus, rursúmque tuis nos sistimus omnes
Imperiis, tua jussa olim, tuáque arma sequuti.
Erue, si qua manent, sceleris vestigia tanti
Et preme mortales patriis virtutibus, altum
Qui spirant, Superûmque sibi promittere sedes
Non dubitant: solve à tanta formidine cœlum.
Si non magna satis fuerint tua numina, felix
At tu prole virûm, auspiciis quorum omnia vinces.
Est tibi divinæ stirpis Tirynthius heros,
Hunc cape bellorum socium, & conjunge volentem:
Ille, ille est, tibi quem promitti sæpiùs audis:
Illum fata virum poscunt, illum augur Apollo,
Auctorémque Themis cecinit longæva salutis:
Hujus in adventum nunc horrent cœlifer Atlas,
Et radiis Calpes juga subdita vespertinis:
Ille Giganteïs spoliis incendet onustus
Sublimis, factísque viam affectabit Olympo.
Sunt aliæ illustres animæ, patriíque nepotes,
Ætherius quibus est vigor, & cœlestis origo.
Primus equûm domitor, rapidóque insistere curru
Ausus Erichthonius: cùi par Asclepius, illo
Patre satus, longum cœlo qui dirigit annum.
His duce Lenæo devicto Oriente profecto
Silenos conjunge, armis genus acre virorum.
Hi mediis palmam revehent ex hostibus: iras
Hi sistent, pacémque dabunt, certámque quietem.
Omnia quæ Clarias memini prædicere lauros,
Sidereósque ignes cœli, linguásque volantûm.
Hæc ubi dicta dedit, rupêre silentia cuncti

Cœlicolæ priùs attoniti, mentémque resumunt.
Non aliter moriens, densa aut obducta favilla
Flamma latens, iterùm cinerem exercentibus auris
Emicat, & sensim clarum effervescit in ignem,
Dum tandem magno erumpat flamma aucta sonore.
Sensit ut expulsum terrorem, animísque receptis
Fidere jam pugnæ, atque audere in prælia vidit:
Ipse pater belli ætheria signum extulit arce,
Adjecítque animis stimulos, & ad arma vocavit:
Ardet inexcitum cœlum antè, ducémque requirit,
Et neglecta priùs proprio rapit arma furore:
Cedit amor pacis, belli subeunte tumultu:
Pars gladios clypeósque novant: thoracas ahenos
Parjetibus pars diripiunt, arcúsque retractant.
Ante omnes Jove nata, colis fusísque relictis,
Cælatam argento galeam cava tempora circum
Induitur, pictis quam crista amplectitur alis:
Loricámque ingentem humeris circumdat, & hamos
AEre graves, intérque manus & brachia versat
AEgida terribilem visu, crinésque Medusæ
Explicat anguineos, eadémque hastilia crispat,
Quîs horrendum Anytum, sævúmque Menoetion olim,
Titanásque alios magna virtute repressit.
Ponè subit, primæ vestitus flore juventæ
Arcitenens, gradiénsque Deos supereminet omnes,
Pictus acu chlamydem egregiam: tela aurea & arcus,
Aurataque sonant pharetræ, nodóque coactos
Aurea flaventes subnectit fibula crines.
Hûic jaculis paribúsque Soror se sistit in armis,
Non pensis calathísque assueta, sed arma virago

Docta pati, lustrisque feras prosternere opacis.
Germana insequitur juxtà virtute Tuiston,
Arduus, armipotens, divini signa decoris
Grandibus ostentans oculis: quis spiritus olli?
Pectore quàm forti juvenis, quantum instar in ipso est?
Gradivo assimilis Marti galeámque jubásque,
Et magnos membrorum artus: sed cætera Tuiston,
Teutonicúmque manu binas insigne catejas
Cæsáque bina gerens, totáque ex ilice sectas
Ingentes frameas, & acutæ cuspidis hastas.
Circùm humeros operit pellis direpta juvenco,
Quam lorica bilix auro conserta tegebat
Desuper, extremas argento discolor oras:
Ostro intexta chlamys rutilat: per lactea colla
Cervicémque comæ, myrrháque crocóque madentes
Luxuriant, crispósque movet levis aura capillos.
Talis ab Oceano, Veneris justissima cura
Exerit os sacrum cœlo, flammásque comantes
Lucifer astrorúmque alios super emicat ignes.
Inter at arma Dei longè admirabile textum
Effulget clypei, & radios vomit aureus umbo
Hic res Teutonicas, Germanorúmque triumphos
Mulciber extuderat, primáque ab origine gentes,
Fluminàque, montésque, & longo littora tractu.
Omnia nam vates, quid lapso effluxerit æuo
Novit, & in serum quæ mox ventura trahantur.
Prima tenent Divûm effigies, & in ordine primus
Egregius forma puer, atque insignibus armis
Eminet, & numerum Divorum altaribus auget,
Ore patrem referens & forti pectore Mannus,

Tyndarides juxtà pulcro cum Castore Pollux
Imparibus fulgent armis, habitántque sacratos
Relligione patrum & prisca formidine lucos.
Nec procul hinc Triviæ nigra nemus undiquè densum
Fronde viret, donis opulentum & numine Divæ:
Sacra Charitinæ matres nymphæque frequentant,
Vindelicæque nurus flavos tegit insula crines,
Carbaseique sinus, & leni bractea vento
Increpitat, peplúmque pedes descendit ad imos.
Surgit & augustum niveo de marmore templum
Turrigeræ Cybeles, miro quod honore colentes
Arcanis servant æterna silentia sacris:
Ipsa fugit visus geminis invecta juvencis,
Quæ lenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Ponè sacris populus sævi crudelibus Hesi
Gaudet, & humano tinguntur sanguine cultri,
Fœdáque mactatis ardent altaria fibris:
Ipsa domus crudis dapibus fusóque cruore
Sparsa natat, saniéque atra infuscatur arena.
Nec non Teutates populis immanior ipsis,
Objectos avidis discerpit dentibus artus:
Nec vel amicorum, aut fraterna sorte videres
Mœrentes, ea visa salus morientibus una,
Cœlestûm ingluviem proprio pavisse cruore.
Inde cadit viridem Bacchi sacer hircus ad aram,
Consita quò largo pubescat vinea fœtu:
Omnes, pampinea devincti tempora fronde,
Evoe Bacche fremunt, magnòque strepente tumultu
Exululant Nemetes, demissæque ab Jove gentes
Francones Hectorei, flammis erepta propago

Iliacis,

Iliacis, quam per multos fortuna labores
Jactatam, tandem voluit consistere terris
Teutonicis, latáque urbes ditione tenere.
Parte alia magnum subitò consurgere bellum
Cernere erat Cauchis populis, residésque movebat
Cimber in arma viros, omnes ingentibus ausis
Romulidas contra dominos, gentémque togatam.
It nigrum campis agmen, peditésque Chamavi
Gambriviíque strepunt, vitæque acrésque Cobandi,
Cheruscique, Charudésque, Senonésque Suëvi,
Atque Pharodeni, & longis materibus Ambron.
Heu quas in terras, quas hic exercitus oras
Appulerit, quantas acies stragémque ciebit,
Marte quot occisis viduabit civibus urbes:
Hinc illinc fora turbari, sævásque videres
Collucere faces, & fervere mœnia flammis:
Syllani primùm occurrit morientis imago
Lurida, cæde madens, proprióque voluta cruore:
Occubat AEmilius juxtà: dat Consul & amens
Cæpio terga fugæ: tum corpora luce carentûm,
Et spolia, & currus pleno vehit Isara fundo.
Illinc multa metu cunctantem, & multa parantem
Inclusum vallo Marium, fossáque coronant,
Irritántque hostem variis clamoribus: olli
Mens immota manet, voces jactantur inanes:
Alpinas pars magna nives transcendit, & oris
Ante exspectatum Ausoniis sua classica cantat.
Non Catulus, rupésque cavæ, non sæva retardant
Frigora: vi superant montes, & flumina tranant.
Heu miseranda manus, si quà fata aspera rumpas

Néve Padi ripis, Athesim neu propter amœnum
Languida delitiis, prisca quid laude remittas.
Ultor adest juxtà magno demissus Iülo
Cæsar, & excidium minitans, victísque Suëuis
Supplicium, vanis animos terroribus auget.
Ipse indignanti similis fremit horridus ore
Canitiémque secat Renus, quod ponte parato
Agmina conjunctas transmittant Itala ripas.
Nec procul horrentes adverso Marte Latinos
Aspiceres, campósque ingentibus ossibus albos,
Fonte suas primo quà Lupia proluit undas.
Ipse neces inter medias, jam morte futura
Pallidus, ingentíque cruentus vulnere, stricto
Dedecus ob tantum Varus sese induit ense.
Ductor at Harminius fugienti immistus Hetrusco,
Inter & aggestos confusæ stragis acervos,
Vertitur arma tenens, victóque ex hoste triumphat.
Tota viri facies divinum spirat honorem,
Cæruleíque oculorum orbes, intonsáque mento
Barba priùs crescens, & nudo vertice fulvi
Collecti crines in nodum more jubarum.
Parte alia septemgeminam rerúmque potentem
Lemnius addiderat, prope ripas Tybridis, urbem:
In medio strepitum admirans, molémque theatri
Marmoream, princeps Phrysius, dum singula lustrat,
Aspicit externos peregrina veste Quiritûm
Affixos lateri, procerúmque in sede receptos:
Fœdera quòd nunquam contrariáque arma sequuti,
Sæpè sui memorem Romam fecêre merendo.
AEmulus hoc cernens, nè tanto cedat honori,

Exardet:

Exardet: mentem dolor, & benè conscia virtus
Incitat, & magna testatur voce per omnem
Consessum. Solos immenso Teutonas orbe
Supra homines, supra ire Deos armísque fidéque.
Indè senex Lanus per lævia saxa volutus
Murmurat exundans, fontésque Aganippidos undæ,
Abnobiíque virent saltus, ubi rustica pubes
Roboribus findens vallos, furcásque bicornes,
Lintea continuis circundat carbasa sylvis:
Atque volutabris pulsos sylvestribus apros
Cogit in amenta, aut cæsorum horrentia centum
Corpora cervorum magno clamore reportat.
Atque hîc Hermiones refluentis ad Albidos undas
Alta petunt Angli, rostrísque tridentibus instant,
Auxilium extremo divisis orbe Britannis
Spondentes, gentémque antiqua in pace tuendam.
Ollis mille manus juvenum clamore secundo
Pérque foros & transtra ruunt, laxántque rudentes,
Et flexis lento luctantur marmore tonsis.
Ipse senex alta residens in puppe magister,
Sidera nocturno circumspicit aurea cœlo,
Quid ferat Orion, quid clara Lycaönis Arctos,
Quod designet iter Boreæ versatilis index,
At procul è speculis capit admiratio gentes,
Cúmque pharetratis trepidi per littora Scottis
Discurrunt Picti, credúntque innare fluentes
Orcadas, insanísque revulsas Hebridas undis.
Horrendum juxtà specus, & nigri ostia Ditis
Apparent, flammísque exæstuat atra Mephitis:
Hinc exaudiri gemitus, suspiria crebra.

Vincla recusantûm, & conatibus æqua ferentûm.
Quisque suum execrantur opus, veterúmque rudentes
Supplicia expendunt scelerum serpentibus atris.
Ipse Charon servat, penetrali in sede receptus,
Vestibulum, ultricésque sedent in limine Diræ,
Nullus & ad Superos reprobis datur exitus umbris.
Inde sinu maris in medio, summisque sub astra
Eductam tectis statuunt, & mœnibus urbem
Concludunt: aliqui tuta statione capaces
Classibus effodiunt portus: pars ædibus aureîs
Fundamenta locant: opere omnis semita fervet,
Quadrifidásque trabes, & acuto robore vallos
Arietibus subigunt, penitúsque infigitur arbos
Fluctibus, ut muris recto via limite quadret.
Mille rates circùm, spumas salis ære secantes,
Diversis veniunt externi finibus orbis.
Hæc ebur, & cannæ miracula dulcis ab Indis,
Illa coloratis fert thurea dona Sabæis.
Lenibus hanc Euris, illam sed Iäpyge ferri
Conspiceres, laxísque velut contendere velis,
Quæ levitate prior: toto natat uncta carina
Amisso, mediæque minans illabitur urbi,
Exhaustósque prius centena remige portus,
Et loca desertis iterùm navalibus explet.
Omnes in speculis cives, in mœnibus omnis
Plebs ovat, atque animum prospectu pascit inani.
Ponè, sub Oceäni fines Solémque cadentem,
Herculeæ surgunt, visu res digna, columnæ.
Parvus & antiqui perlabitur arva Phileni
Laurus, ubi Franci, Troja gens missa, coloni

Fortia

Fortia gramineis exercent membra palæstris:
Hîc bellator equus, densa farragine pinguis,
Ingreditur, setisque pedum tenus obsitus horret.
Illic mille greges armentáque candida pascunt,
Et cibus in tenera pecori gratissimus herba.
Talia per clypeum divina Mulciber arte,
Multáque præterea secli monumenta prioris,
Cælarat, totúmque opus insigniverat auro.
Pars Divûm exercentur equis: pars pulvere currus
Quadrijugos domitant, & flexos cursibus orbes
Impediunt, superántque vias: strepit æreus axis,
Erigitúrque fuga commotæ nymbus arenæ,
Præ reliquis cœlo Mavors invectus aperto,
Pulverulentus agit currus, clypeúmque coruscat
Sole sub adverso, quem taurorum undiquè septem
Terga dabant circùm splendenti insuta metallo.
In numerum exciti strepitu Dimósque Phobósque
Erecta cervice fremunt, glomerántque superbos
Arte pedes, oculísque ignes & naribus efflant,
Séque animis referunt Neptuni ab origine gentem.
Quatuor hûic inuectus equis se jungit, & armis
Promtus Erichthonius: quem juxta animosior urget
Cyllaron Oebalides: sparsáque insultat arena.
Castore nec minor Orion, huic aurea cassis
Tempus utrumque tegit: scapulis nitor aureus ardet:
Auratum thoracis opus: sunt aurea bullis
Cingula distinctis, nitidóque argenteus ensis
Effulget lateri, & radiis micat ocrea fulvis.
Insequitur clamantûm horror, subitóque tumultu
Exardet cœlum, atque irarum fluctuat æstu,

Juppiter at Maja genitum sub tecta vocatum
Mittit ad Alciden gnatum, quo robore nusquàm
Major erat, nemo egregiis illustrior armis.
Ille parabat iter, jam certus abire: sed auras
Vix pater ingressum revocat, neglectáque primis
Adjiciens, ait: Hunc etiam mihi gnate laborem
Quàm primùm expedias, gens dura atque aspera cultu
Alpheos habitat fontes, quam Liber ab Indis
Duxit, & Arcadicis voluit consistere terris:
Silenos dixêre ducis de nomine: nostro
His quoque subsidio tota cum gente suorum
Arma jube capiant, veniántque in fœdera cœli,
Dixerat. Interpres Divûm mandata capessit
Ocyùs, & cœlo instructus se librat ab alto
Instar avis, levibus quæ transvolat æthera pennis:
Munychiósque super colles, Actæáque Divæ
Littora belligeræ properans, ad mœnia venit
Acrisioneïs Danaës fundata colonis.
Hic ante ora Deûm cumulantem altaria donis
Magnanimum Alciden, sævæque injusta Novercæ
Jussa exspectantem reperit, dictóque paratum.
Continuò alloquitur, verbísque affatur amicis.
Maxime Semideûm Alcida, Junonis ob iram
Rege sub Eurysthêo duros perpesse labores,
Gens inimica Jovi, nuper Tellure creata,
Immeritos premit, & cœlum circumsonat armis,
Affectátque iterum revocare ad lumina vitæ
Fulmine dejectos quondàm Titanas ad Orcum.
Ergò tuus tibi me genitor demittit Olympo,
Dis ut in auxilium, fatis poscentibus, adsis,

Terrige-

Terrigenúmque minis Superos tuëäris & astra.
Sic ait, atque iterùm celeri per devia lapsu
Evadit, medióque hominem sermone relinquit.
Horruit Alcides monitis, secúmque parentis
Jussa timens, animo bellum crudele revolvit:
Nec mora, terribilem nodis & robore cocto
Clavam versat agens, & circum pelle leonis
Grandibus impexa setis inducitur artus,
Promeritúmque petit per mille pericula cœlum.
Nuntius at positis paulùm Caducifer alis,
Inter odoratas viridi sub tegmine lauros
Substitit, Eurotæ quà per sata volvitur amnis.
Hinc cœptum decurrit iter, stellísque priores
Silenos petit: hæc sylvis habitabat opacis,
Gens antiqua, potens armis, & munere glandis.
Inscia nam ferro terram proscindere, nunquàm
Exercebat humum. flavísque instabat aristis:
Rastrorum non usus erat: grave robur aratri
Ignotum, cùm sponte sua daret omnia tellus,
Arboreos fœtus, Alpheáque pocula, nondum
Vitibus inventis, dulcésque sub ilice mensas.
Ut primùm patriam vectus devenit Enispen,
Parrhasiásque domos, dispersa mapalia juxta
Pastorale canit signum, & conclamat agrestes
Relligione sacram sub quercum, annosa per auras
Brachia fundentem placidum Ladonis ad amnem.
Protinùs accelerant cunctis è finibus omnes
Certatim exciti socii, Divûmque per auras
Arcada suspiciunt portantem jussa, statímque
Undiquè in auxilium coëunt, & fœdera jungunt,

Finitimásque in bella trahunt rumoribus urbes.
Intereà Juno omnipotens Thaumantida cœlo
Tethyos ad sedes mittit, Nymphásque sorores,
Quæque omnes latè liquidos sylvásque frequentant:
Ut quæ toto instent pandat discrimina mundo.
Illa parat mandata, volans per nubila, molles
Picta sinus, variisque ornata coloribus alas,
Et super immensum leviter suspensa profundum,
Humida regna quatit. Subitò Oceänitides omnes
Excitæ thalamis vitreisque sedilibus adsunt,
Ambrosiæ liquidas spirantes crinibus auras.
Prima locum Tethys capit, & Neptunia conjux,
AEmoniique tori consors, quam littore circum
Nereïdes funduntur, & udis Najades ulnis:
Notáque cæruleo quotquot sunt numina ponto.
Addunt se comites Dryades, cultæque Napææ,
Limniadúmque cohors, & Hamadryas arbore custos
Vix avulsa sua: niveis pellucida Nymphis
AEquora resplendent, undísque resultat imago.
Ipsi cum Faunis Satyri montésque calescunt,
Atque imo turpes ardent sub gurgite Phocæ,
Dúmque vident, rapuisse optant, raptísque potiri.
Postquàm facta quies strepitus coràm astitit Iris,
Quidque docet veniat, cœlique pericula narrat,
Et quo quæque modo fugiant: nec pluribus usa
Vocibus assumtis iterùm circundata nymbis,
Ingentem festina dedit sub nubibus arcum.
Obstupuère Deæ, & mortem sibi quæque timebat:
Leucothoë in primis parva cum prole furores
Horret adhuc Athamanteos, patriásque videre

Se putat impelli, nervo stridente, sagittas.
Sed trepidare vetat Tethys, animósque ministrat,
Sollicitásque iterùm spaciosa revisere tecta.
Nereïdas jubet, atque opera exercere Minervæ.
Jámque erat egregiè instructum cœlum omne sub armi
Poscebátque hostem, & gratæ spectacula pugnæ.
Undiquè in auxilium, Martis pulcerrima proles,
Sileni properant, omnes Jovis arma sequuti:
Accipit hos genitor dextra, primósque salutat
Ductores, Lycon egregiæ virtutis, & acrem
Pantharon, extremum ad Gangem Nysæis Arechthis
Quos genuit, Nymphísque Dei sub numine tutos
Tradidit: ille pigri costas agitabat Onisci,
Hic Pelia invehitur fusco: tunc ordine pubem
Roboribus stupet armatam, miratur & ipsos
Tyndaridas geminos: Sed cunctis altior ibat
Maximus Alcides, cûi, belli insigne superbum,
Tempora populæa fulgent innexa corona.
Omnibus his, certis vicibus, concredita cœli
Cura salúsque fuit: pars propugnacula cingunt
Excubiis vigilum, & murorum ingentia claustra
Milite circumdant: speculis pars abdita, latè
Singula luminibus lustrant: pars saxa sudésque
Subvectant hùmeris, & circùm turribus altis
Armati servant portásque aditúsque viarum.
Nam foret imperium vt securius ætheris, arces
Viribus invictas dextra læváque frequentes.
AEtnæi statuère Cyclopes, & ardua ferro
Mœnia, quîs ipso cedat cum Dite Megæra,
Ferreíque Eumenidum thalami, fraudésque Promethei.

Prima tenet latis castella immania regnis
Orion, tàm tuta loco, quàm firma labore:
Vestibulum ante ipsum, dextróque in limine candens
Sirius & Porcyon posuêre cubilia, fortem
Hic patriam Epirum referens, patriam alter Amyclas,
Latratúque ambo invigilant, nè prodita somno
Castra dolo capiant, & multa cæde cruentent:
Hesperius lævam Eridanus fluvialibus undis
Occupat, Heliades quem circum in margine ripæ
Pinguia corticibus sudant electra sorores.
Néve quis aut proram advertat, fluvióque propinquet
Ante exspectatum, aut inopinus terreat hostis,
Cetus habet ripas, vastósque immanis hiatus
Pandit adhuc, quondàm Andromede, tibi causa timoris,
Indè per adversi se semita cornua Tauri
Tyndaridásque offert, toto notissima cælo.
Hic arces gemini Heroës, Vulcanius alter,
Alter Abantiades alterna sorte gubernant,
Ambo DIs geniti, magnis virtutibus ambo.
Hinc iter Iäsides clara cum conjuge Cepheûs
Pandit, ubi Cygni simulati affixit adulter
Exuvias, & se geminas via findit in oras.
Dextra Coroniden, Phœbo genitore creatum,
Tertia quem penes est divisi regia cæli,
Continet, hunc circum longus convolvitur anguis,
Corporis immensi flexu complexus utrinquè
Cum manibus latera, & spiris ingentibus alvum,
Phœbigenámque supra caudà & cervicibus exstat.
Læva per AEmonios Chironis recta sagittas
Ultima castra aperit, monstro regnata biformi,

Nubigenûm

Nubigenûm de gente Pholon quem fama reliquit:
Ille tenens lato præfixa hastilia ferro,
Excipit incautos, & sacram mactat ad Aram.
His via, quæ totum complexibus ambit Olympum,
Est munita viris: contraria regna polósque,
Quos circum aßidua rapitur vertigine cœlum,
Obsedere alii. Nam quà convexus ad arces
Riphæas polus aßurgit, noctésque diésque
Magna minórque feræ insomnes sicca atria servant:
Icarus hac Helycen custos defendit: at illa
Parte tenet socer aurigenæ Cynosuran & axem,
Insidiásque ambo prohibent cœlestibus armis.
Qua sed inaccessos Lybiæ devexus in Austros
Deprimitur nostros horrescens cardo Triones,
Imbribus aßiduísque madent castra humida nymbis.
Hîc, quo vix toto violentior amnis Olympo,
Stellifer Eridanus sinuosis flexibus errat,
Trojanúsque gerit puer urnam. undásque refundit.
Maxima sed Phœbo cœli concessa potestas,
Signorum obliquus quà circumvertitur ordo:
Cynthius hîc vacuis solus dominatur in aulis,
Et paucis fas Divûm operosum insistere limen.
Infima regna tenet, Tropicum depreßus ad imum,
Ægoceros, gelido brumæ intractabilis imbre.
Hinc via sublimis, quà noster surgit horizon,
Aurea Phryxææ depromit vellera Capræ,
Oppositáque pares cum Libra examinat horas,
Altior at Grajam consurgit Cancer ad Arctan,
Dilatátque dies, & opacas contrahit umbras,
Hinc iterùm manifesta rotæ vestigia ducunt

Sub Styga, perpetuúmque gelu, manésque profundos,
Haud aliter, quàm si summo de vertice montis
Infima præcipites videas ad Tartara valles.
Hæc cæleste solum custodia cingit, & alti
Tecta Jovis multo circùm munita labore,
Vis ut nulla queat, vel adacto exscindere ferro.
Juppiter hæc summo dum singula curat Olympo,
Terrigenæ prisca Phæacum ab origine regem
Eurymedonta satum, sceptris & honoribus auctum,
Militiæ pacísque ducem legêre: Typhoëus
Enceladúsque pari regem virtute sequuntur,
Et jam major erat toto æthere Martis imago,
Astráque terrificæ trepidabant proxima cædi.
Phocos at Iëniúsque absunt, opulentáque castris
Jungere castra parant: hic ex Acamante Cerastas
Adducit, geminis insignes cornibus omnes,
Quos genuit rapta Proteûs Amathuntide nympha
Carpathius, primæva patrum ceu credidit ætas.
Captus enim AEgiropes insano Cypridis igne,
Hanc cupit, hanc sequitur Deus, hanc suspirat, & undis
Expetit in mediis: non illi immania curæ
Armenta, & turpes Neptuni in gurgite phocæ:
Quin etiam patriam Emathiam, gratámque relinquit
Carpathon, & Paphias repetit malesanus arenas:
Hic curas alit ignis, inardescítque tuendo.
Illa sed incinctæ studia exercere Dianæ
Gaudet, & Idalios canibus circumdare saltus,
Raráque sylvestres in retia cogere damas.
Ad furtum rude pectus erat: non saucia flammas
Noverat, aut somnos rumpebat cura salubres.

At Deus

At Deus impatiens, veteris non immemor artis,
Mille dolos nectit: vellet sumsisse leonis,
Aut spumantis apri effigiem: at nè exterrita monstris
Effugiat, pulcri celatus tegmine cervi,
Vi potitur, ponitque suas in virgine flammas:
Plenáque cùm novies Lucina coisset in orbem,
Facta parens (dictu mirandum) enititur hirtis
Cornibus humanæ monstrum sub imagine formæ,
Undè genus miræque trahunt primordia stirpis
Cornigeri, & domitam sibi subjecêre Tegessum,
Immanésque armis Colgos, Chytrósque vetustos.
At centum gemino cives Atabyria Phorco
Jungit Iälysios, quos fratrum Terra creatrix
Ossibus ultores genuit, Telchinas & omnem
Cùm Rhodon æquoreis Neptunus subderet undis.
Versicolor cunctis maculosæ lyncis amictus
Pectore dependet: duo quisque abjegna coruscat
Tela manu, scutis protecti corpora nullis.
His magicos addunt cantus, & plurima Ponti
Lecta venena jugis, quibus aëra solvere in imbres:
Sistere Dictinnam, & ferrugine condere Phœbum,
Obscurásque valent nebulas inducere terris,
Rursus & in cœlum vapor ut se purget apertum,
Imò etiam ternis nodis tria verba profati,
Fundamenta maris fretáque indignantia miscent,
Præsentémque viris intentant æquore mortem.



BELLI GIGANTEI LIBER SECUNDUS.



ET jam prima dies rutilo surgebat Eoö,
Obscuramq; Aurora polo dimoverat umbram:
Cùm subitò e sylvis certatim & montibus altis
Excitum ruit in campis genus omne Gigantum,
Concilium horrendum, cuncti capita alta ferentes
In cœlum, & vastos æquantes corpore montes.
Antè locum capit Eurymedon, animosq; suorum
Lustrat, & ætherium turmas ad limen ituras:
Participes creat inde operum, numerúmque recenset,
Et quamcunque ferat sors, æqua mente ferendam
Fortunam monet: alto omnes clamore sequuntur.
Nos quò fata trahunt, quò sors vocat ultima belli,
Te sequimur, dextraq; ducem vitaq; parati
Asserere: invictos tu regni in parte locabis,
Præmiaq; emeritis statues: Nec plura loquuti,
Incumbunt operi pariter: pars robora sylvis
Fraxineasq; trabes findunt, & montibus ornos
Devolvunt: montes alii cum quercubus ipsos
Obnixi trudunt humeris: pars saxa facesq;,
Ardentesq; ferunt pinus. Labor improbus omnes
Exercet, studiisq; furorem æqualibus augent.
Rex ipse Eurymedon, opera inter talia primus,

Horta-

Hortatur socios, & nomine quemque vocando,
Nunc animos dictis stimulat, nunc laudibus ornat.
Nec mora, festinant: nemorosam Pelio Oßan
Imponit, saxisq; involvit saxa Typhoêus:
His super excelsi caput, & latus arduum Olympi
In cælum, nivibusq; adoperta cacumina tollit.
Sævus idem molitur Athos, paribusq; sequuntur
Viribus Alcyoneûs cum fratre Asiusq;, Mimasq;
Herionesq; acer, socero laturus in armis
Auxilium, pulcræ Asteries incensus amore.
Proximus Enceladus campo se turbidus infert,
Arduus, arma tenens, centenaq; brachia jactat.
Hûic sese agglomerant Briareûs, & maximus annis
Agrius, Hyppolitusq; ferox, Medonq;, Rhyasq;
Myrmidonumq; acies, & Crajæ stirpis Alemon.
Nemo parem sibi ferre potest: hic fortior illo,
Viribus innixus proceras eruit alnos:
Immensos alii montes radicibus imis
Avulsos cumulant, & in altum educere certant,
Astraq; sublimes apices trepidantia tangunt.
Juppiter hæc oculis sed adhuc pater aspicit æquis,
Collectamq; premit, simulatis viribus, iram:
Donec præcipiti totum certamine cælum
Corripiant, certamq; petant per vulnera mortem
Primum Terra parens dat signum & conscius AEther,
Iratosq; animos insani Martis amore
Incendunt: Ipsi, mediis in millibus, armis
Ductores longè effulgent, cristisq; decori
Antevolant, hostemq; alto clamore fatigant.
Idem omnes simul ardor habet, rapiuntq; ruuntq;.

Haud aliter quàm si violentior incubet Eurus
Fluctibus, & pelago malè sæviat ater Orion.
Jámque propinquabant astris, montésque tenebant,
Ut possent notas audire & reddere voces.
Cœlicolæ contrà pro libertate ruentes
Avertunt, primóque vetant consistere cœli
Limine: strictam offert Perseûs venientibus harpen,
Occluditque vias: audacior instat Apameûs
Alcyonêi monitu, & laudis succensus amore,
Víque affectat iter: prohibet Jove natus: at ille.
Quid scelerate paras, poterisne illudere solus
Tot tantísque viris? erit hæc lux ultima victis,
Hac, Jove sublato, cœlum super ibimus infit.
Acrior Inachides contrà, os oculósque loquentis
Jam dudum obseruans, trajecit guttur, humique
Transversum rapuit, graviter resonantibus armis.
Illum exspirantem transfixo pectore, celsa
Terrigenæ pendere procul de rupe videntes,
Accelerant, variísque acuunt clamoribus iras,
Hinc Pallenei comites, fortísque Damasor
Accurrunt: ipse ante alios immanior omnes
Infert se socium AEgæon, atque agmina jungit.
Omnia Cœlestûm adversus jubet arma parari
Juppiter, & patriis detrudere finibus hostem.
Acer at AEgæon, vitalis prodigus auræ,
Interiora poli irrumpit, pérque ardua saltu
Mœnia se mittit, subito turbante tumultu.
Hic postquàm exuvias notas, Titaniáque arma
Fixa videt, majora animis & pectore versat,
Respiciénsque acies: Vos, ô, lectissima pubes,

Ecquis erit, mecum qui castra exurat opésque?
Inquit: & accensum primus vi corripit ignem,
Sublatúmque jacit, trabibúsque affigit acernis.
Hoc etiam Alcyoneûs facit, adjunctique Gigantes
Injiciúntque manum, & flammis alimenta ministrant.
Fit fumus, ventisque volat vapor ater ad auras:
Parietibus furit æstus, & altis postibus aucti
Corripiunt tabulata ignes, pérque intima Divûm
Atria uolvuntur: tecti fastigia adesi
Vulcano superante labant, stragémque minantur.
Cœlicolæ contrà, tanto in discrimine rerum,
Undique collecti paulatim incendia sistunt.
Auxilio madidos Orion convocat Austros,
Ut pluvias imbrésque ferant: festinat & ipse
Phryx puer, indomitæque infundit flumina pesti
Integra: nymbosis rapidus Notus evolat alis,
Præcipitátque amnes, pluviarúmque agmina aquarum,
Restinctus donec vapor omnis, & uda favillam
Robora decutiunt, servatíque igne pènates.
Non tulit hoc animo, & furiis majoribus arsit
Horridus AEgæon, propriásque recurrit ad artes:
Nec mora, terrificum quinquaginta oribus ignem
Eructat, totúmque atra caligine cœlum
Involvit, tum, fumus agit quà plurimus æstum,
Infert se tacitè, & nebula speculatur amictus,
Quem Superûm excipiat letho, incautúmque trucidet.
Sed levis ætheriis Hermes delapsus ab oris,
Aëra dimovit densatum, & dispulit umbras:
Tunc patuêre doli, claráque in luce refulcit,
Gutture vana movens incendia, Primus in ipsum

Juppiter expertus sua fulmina, dejicit uno
Ora novem jactu, fumantiaq; ignibus atris
Uulsa rotat capita Anguipedum super agmina, & omnes
Sanguine conspergit. Veluti cùm robora ventus
Impulit, & teneras turbavit flamine frondes,
Dispersæ per inane ruunt, aurisq; feruntur.
Ancipiti AEgæon mentem formidine pressus,
Omnia molitur, Divisq; resistit, & altum
Dentibus infrendens, miscet clamoribus iras.
Urget adhuc pater omnipotens, iterataq; mittens
Fulmina, præcipitem jacit in mare, deînde Gigantis
Navita quod victi AEgæum de nomine dixit.
Ocyùs accurrunt subjecta per æquora nantes
Océanusq; senex, Phorciq; exercitus omnis,
Fortiter & prensum cogunt, nodisq; coërcent.
Tum moles superinjiciunt: Uulcania dextram
Saxa manum cohibent: Baccho Methymna sinistram
Clara premit: fauces Tenedos Neptunia: dextrum
Scyria terra pedem, lævum vineta Phanæi:
Inter utrumque tenet medium Psyra ardua: ventres
Centum claustra ligant, æternaq; robora ferri.
Illudunt capto circùm gens humida ponti,
Canitiemq; udam vellunt: super omnia Nymphæ
Mirantur monstrum æquoreæ, miratur & ipsa
Amphitrite, humerosq; manu contingere gaudet.
Plus quoque ludibriis patitur, rostrisq; natantûm
Impetitur, lateriq; illisa refunditur alga.
Quidquid agant tandem, jacet æternumq; jacebit
Impius AEgæon, fundoq; immobilis hæret,
Nequidquàm pelagi circùm latrantibus undis.

Diffugiunt

Diffugiunt socii magno incumbente timore,
Exceduntq; iterùm castris, & tuta capessunt
Non secùs ac capreæ errantes, quas rupibus altis
Commovêre canes, vestigia nota sequuti,
Diffugiunt, densisq; metu se vepribus abdunt,
Instat Erichthonius, curruq; per agmina raptus
In profugos sævit, multam sine nomine plebem
Excipiens letho, Sthenium, Protumq;, Heliumq;,
Deindè Neöphelimum se posteriore tegentem
Parte bovis, Steropen juxta & Bisaltide cretum.
Emicat Enceladus sociorum indigna suorum
Funera conspiciens: animus diducitur omnes
In curas palmasq; ad cœlum utrasque tetendit
Tum quassans caput hæc effundit, & increpat ore.
Quò ruitis timidi, heu, quid volvitis? ánne repentè
Pertæsum belli incœpti? subsistite: quænam
Vestræ meta fugæ: quò tenditis? en ego vester
Enceladus sum vester ego, mecum arma movete,
Sistite mecum hostem, & tantum extorquete triumphum.
Vos decus egregium moveat, roburq; juventæ:
Vos reges atavi, & claris domus inclyta factis
Erigat, illatumq; nefas impellat ad arma.
Mentibus his dictis violenti Martis amorem
Insinuat: rapit arma furor: malè sævit Erynnis,
Extinguiq; fugæ labem sic posse putabant.
Mox prior Enceladus totum nemus abjete nigra
Fert in Erichthonium, vasta qua mole quadrigæ.
Procubuêre solo, & series luxata rotarum.
Exsilit Ignipotente satus, telumq; Gigantem
Torquet in instantem, quod lævo umbone repulsum

Pectus in Amphinoi venit, qui fortè sinistro
Affixus lateri hærebat, tua maxima cura
Encelade, ah, fatis nequidquàm ereptus acerbis,
Cùm mistum insidiis, & iniquæ fraude novercæ
Penè merum nigri biberat cum lacte veneni.
Palluit aspectu Enceladus, magnóque dolore
Ingemuit, tantùm ereptum dilexit amicum:
Tum super incumbens fletu ora rigavit oborto,
Militiæ atque sui oblitus, verique decoris.
Hoc luctu arrectæ mentes, gavisáque corda
Cœlicolûm, majórque jocosa lite creatus
Fertur in adversas acies: spes addita mentem
Suscitat audacem, & belli in discrimina trudit.
Hûic se offert geminis aurato in vertice cristis
Conspiciendus Aras, genitor cûi magnus Erechthon,
Mater Amimonoë Nympharum sanguinis una,
Altera qua Patris, & tot per Achaïdas urbes
Nulla fuit, vel pingere acu, vel tingere lanas
Doctior, & tenues radiis percurrere telas.
Hic levis insultans, prior infit: Non mea casus
Tela reget, nec cæca dabit fortuna potiri
Laude necis, velut insperato errore peremptus
Amphinöus: sed certa feret tibi dextera mortem.
Sic fatus, diductum altè consurgit in arcum,
Intentísque oculis, nervo stridente, sagittam
Impulit, & nodos, & vincula ferrea rupit
Thoracis, medio at sine vulnere substitit are.
Acer Erichthonius cernens sine sanguine telum:
Certius hoc, quod nostra feret tibi dextra, futurum,
Clamat, & illusum frustrà altera tela parantem,

Quà

Quà jugulis conjuncti humeri, mucrone petitum
Turbat Aranta solo, & magni de more tropæi
Arma tholis suspendit avo sacrata Tonanti.
Extemplò concussi animis retrò arma tulerunt
Anguipedes, vltrà nec quisquam ex agmine tanto
Ausus adire Deum, & certæ se opponere morti.
Insequitur Sabis, & cœlestibus inclytus armis
Carmelus, Divûmq; alii: quorum ille Phialten
Viribus invictum atque animis, cervice prehensum
Præcipitat sonitu ingenti: hic violentior ira
Ense Palæstino nunc hunc, nunc trajicit illum,
Unius haud nece contentus, duplicataq; fundens
Corpora humi, toto ut sanguis pluat undiquè cœlo.
Nec Jovis est levior cædes, furit ille coruscis
Ignibus, & letho Mineum, fortemq; Celesthon
Dejicit, insigni qui laude Acmona ferebat,
Seq; ortum antiqua Titanum à stirpe volebat.
His Pharium super addit, Ilumq; animasq; trecentas,
Fulmine quas omnes Erebi detrusit ad umbras.
Dedecus haud tantum potuit perferre suorum
Palleneûs, vastusq; Mimas: hortatur & ipse
Porphyrion socios, paribusq; accingitur ausis.
Dux etiam Eurymedon acies vltroq; citroq;
Increpat errantes, verbisq; in prælia cogit.
Arma viri, ferte arma viri, tam sera retardat
Quæ mora securos belli instantisq; pericli?
Pellite corde metum socii, vanumq; pavorem.
Degener egregius semper timor obstitit ausis.
Quod genus hoc Divûm, quisve hos dedit esse potentes,
Et rerum dominos? geminásne timebimus Ursas,

Obscœnosq; canes, & si quæ monstra nefando
Prodigiosa Jovis cœli fatalia jactet
Regna: ferat magnam Hesperiam Saturniaq; arva
Laudibus: Emathiis quoque sunt regionibus urbes,
Armaq;, Titanumq; à sanguine clarus Aloëus.
Hæc etiam desint: quis nostros nesciat ortus,
Virtutesq;, virosq;, atque incunabula gentis
Terrigenæ, ad quorum turbant sublimia nutum?
Et dubitamus adhuc ferro trepidantia castra
Irruere, atque omnes in cœlum vertere vires?
Talibus Eurymedon vix ora silentia pressit
Undiquè collecti coëunt atque agmine denso
Consistunt: AEgæa armis freta lata relucent,
Tolorumq; lacessitus sub nubila splendor
Sole micat, tremuloq; polus fulgore coruscat.
Nauta velut, medio quem prendit in æquore Caurus,
Maturare fugam, tutosq; capessere portus
Imperat, atque hiemi velorum denegat alas:
Expediunt subitò arma viri, adductisq; lacertis
Agmina remorum subigunt, altumq; relinquunt,
Votaq; servatæ servant promissa carinæ.
Primus ab adversa se in prælia mole Damasor
Eubœus parat, atque Asopi filius amnis,
Dives avis atavisq; Menephilus: indè Corinthi
Ter centum armati, duce Porphyrione, subibant:
Omnibus ex humeris saga versicolore paratu,
Corytiq; leves pendent, Ephyreiaq; arma,
Ipse inter medios molitur cardine postes
Eruere AEolides, circumq; immania claustra
Aggreditor ferro, & sævas solido ære bipennes

Ingerit in

Ingerit in portas: ruit alto à culmine præceps
Sacra Jovis domus, & secreta cubilia divæ
Junonis, dignumq; opus, artificumq; labores:
Apparent thalami intus, & atria longa Deorum
Barbarico insignita auro, spoliisq; superba.
Utq; stetit mediis victor penetralibus, ipsam
Opprimit incautam, & haudquidquàm tale timentem
Junonem, pedibusq; tenet, colloq; monile
Eripit, & duplicem gemmis auroq; coronam.
Quò magis illa Jovem inclamat magis angit inhærens
More lupi, siccis prædam qui faucibus haurit.
Ad gemitum famulæ excitæ per tecta frequentes
Discurrunt: resonat querulis ululatibus æther.
Inprimis, fida ante alias, Thaumantias horret,
Multa gemens, largisq; irrorat fletibus ora:
Deiopeja Jovem auxiliumq; implorat, & armis
Poscit opem: magnis responsant quæstubus ædes.
Sensit id Alcmena primùm satus, atque trinodis
Robora corripuit clavæ, gemitumq; sequutus
Fertur, anhelanti suspirans pectore pugnam.
Porphyrio armorum sonitu sibi fata parari
Accipiens, firmo bipatentes objice portas
Fulcit, & inclusus securior omnia spernit.
Instat vi magna Alcides: non claustra nec ipse
Sisyphides sufferre valet: nil profuit usus
Armorum mediisq; inquirit sedibus hostem.
Non aliter placitæ tauros præsentia formæ
Dulcibus illecebris subigit decernere amantes,
Paulatimq; animos urit cogitq; videndo,
Alter eat dum victus, & hosti linquat amores.

Substitit his turbis, clamoremq; auribus haurit
Juppiter, accurrensq; immanes accipit ausus,
Vix has incenso rumpit de pectore voces.
Túne audere nefas potuisti, perfide, tantum
Non veritus nostris tacitus succedere tectis?
Consortemq; tori affectare, negataq; furta?
Non te ignotus amor, non vindicis ira, trisulcis
Effera fulminibus, fœdis deterruit ausis?
Nunc morere, ut pendat meritas audacia pœnas.
Dixit, & ora viri allisit trepidantia terræ,
Altior erigitur Syrio quà Taurus Amano.
Hic misere afflictus, membrisq; dolore solutis
Alitis ora novæ sibi sumit, proq; capillis
Mutato tenues succrescunt corpore plumæ,
Et non visa priùs fit Comagena volucris:
Qualis apud Phrygios crepitante Ciconia rostro,
Ibis apud Pharios: pedibus longissima crura,
Longaq; porrecto sunt ora rubentia rostro,
Fulminis afflati rutilas servantia flammas.
Nunc quoque contretam exemit de pectore labem,
Flagitii memor infandi, exhaustiq; pericli.
Nec satis est odisse nefas: socialia cernens
Jura pudicitiæ at scelerato elusa cubili,
Colla animosa ligans, dictu mirabile, inanes
Panditur ad ventos, sua per suspendia signans
Fœdera rupta tori, & scelus admisisse maritam.
Sævus at Alcyoneûs, nitidis circundatus armis,
Respicit, & quæ sit sociis fortuna requirit,
Porphyriona vocans: sed quem vocat, occidit astu
Herculeo, dextráq; Jovis sub Tartara missus,

Ergo

Ergò animum exercens curis, ultroq́ꝫ citroq́ꝫ
Vertitur ingeminans. Quis te germane Deorum
Abstulit à nobis, quis funere mersit acerbo,
Te fore qui bello incolumem subiecta putabam
Sidera visurum, & promissos matre penates.
Quò sequar infelix? ubi te germane reliqui?
Frater, iō, ubi es? an certa malus abstulit error
E regione viæ, an crudelior ira Tonantis?
Talibus inclamat, sed nubibus irrita fundit,
Verbaq́ꝫ discerpunt venti, certissima cernens
Signa necis, gladium auratum, generumq́ꝫ Creontis
Indutum exuviis fraterna cæde receptis.
Obstupuit primo aspectu, cunctosq́ꝫ per artus
Horror it, & motas ingens dolor impedit iras.
Attamen ut rediit, pulsa formidine, virtus,
Exardet rabies animo, subit ira nefandum
Ulcisci scelus, & fratris super addere manes
Herculeos, cineresq́ꝫ cruore explere sepultos.
Mox rapta validis Alciden viribus hasta
Invadit: fugit illa tremens, & inutile ferrum
Vix equidem infixum summa tellure pependit.
Acrior hoc Jove natus in arcum surgit, & arma
Vasta viri, & clypeum jaculo transverberat: ille
Volvitur in caput, & nequidquàm brachia tendens
Infelix, pedibus projectas spargit arenas.
Advolat auxilio Hæmaleon, & maximus ultor
Ligenetes: simul irrumpunt, simul ipse prehensos
Alcides, animam amplexus circum ilia clausit,
Prolis ut auctorem, & geminos eliserat angues.
Eumelium, frustrà lethum evitare volentem,

Gradivus premit, & per trina volumina scuti
Perforat immani costarum vulnere crates.
Indè Mycenæus fugientem Ophio dea Perseûs
Urget agens crebris deserta per avia telis.
Tergore in obverso totum cûi protinùs ensem
Condidit, & ferro secuit morientia colla.
Tum caput ereptum truncumq; per aëra jecit,
Quà centum geminæ directo vertice Thebæ
Plejadas aspiciunt: hîc excepisse cadaver
Terra parens fertur, sævumq; animasse cruorem:
Undè malum virus serpentibus addidit atris,
Progenuitq; novas calido sub sidere pestes.
Terrigenæ decus & raptum indignantur honorem
Degeneres, ignominiamq; abolere priorem
Egregia virtute parant, quia posse videntur
Laudis amore trahi, & vitam pro laude pacisci.
Hinc gemini juvenes, divi de semine Enipêi,
Ante annos animumq; viri curamq; gerentes:
Indè Thöon ruit: Enceladus, Briareûsq;, Gigesq;
Tercentum ingeminant jactus, & fulmina contra
Missa strepunt, cœlumq; atra caligine obumbrant.
Horridus inprimis ante omnes mole Typhoêus
Emicat, immanes artus, magna ossa lacertosq;
Arduus ostendens: densata per agmina latè
Bellicus exoritur vario certamine clamor.
Quantus ab occasu, sero cùm proditur astro
Taurus, & os Plejas terris ostendit honestum,
Verberat ater humum crepitanti grandine nymbus
Ripheoq; furit Boreas densissimus axe.
At pater omnipotens graviter commotus, & ira
Exsiliens,

Exsiliens, toto molitur fulmina cœlo,
Montanasq; strues motat: fragor horridus altis
Nubibus auditur, confusaq; murmura longè
Crebrescunt: medium credas discedere cœlum,
Non secus ac rimis tellus quaßata dehiscit.
Tum telum insequitur, quo se subducere colles
Incipiunt, pronoq; jugum demittere lapsu.
Horrore Anguipedes trepidant, dextramq; residunt
In partem: magis hoc devexo pondere montes
Procubuêre, quibus tremuit tota excita tellus,
Cœlumq;, tractusq; maris, manesq; profundi.
Senserunt dubios motus, cæcosq; tumultus
Submovet Oceano quos terra extrema refuso.
Nec tantam congesta polo traxêre ruinam
Culmina, Terrigenæ quantam: vel mille Gigantes
Montibus inclusi summus vix cruribus exstant,
Impositas frustrà tentantes pectore moles.
Pars elapsa fugit, pars summa cacumina prensat,
Atque timet lapsum: prona cervice supina
Quædam pendet adhuc similis jam jamq; cadenti,
Ipse etiam vitam sub mole profudit Hybletes,
AEmonios inter reliquos notißimus augur:
Sed malè tum linguas, & præpetis omina pennæ
Noverat, augurio oblitus prævertere lethum.
Non tamen his furor est belli compressa cupido,
Non animi damnis contusi, iterumq; Tiphoëus
Colligere arma jubet, totisq; incumbere cœlo
Imperat agminibus. Procedunt longiùs iræ
Incenduntq; animis vires: nec deficit ingens
Spiritus oblitæq; agitant sublimia mentes.

Arduus ante alios campo Phœacius heros
Eminet Eurymedon, longamq; innixus in hastam,
Increpat attonitos, verbisq; hortatur amicis:
Nunc animis opus est, nunc forti pectore & armis
Promite in assuetum vinci, insuperabile robur.
Hunc mea nè dubita pubes, sufferre laborem,
Hanc operam, quò noster honos & fama resurgat,
Nunc mora cedat iners: olim meminisse sinistris
Jactatos fatis, & bella exhausta juvabit.
Talia dicta dabat properans, functusq; sagacis
Principis officio, pugnas insignis obibat.
Victores contrà in ferrum mortemq; ruentes
Cœlicolæ accelerant, animosq; in prælia tollunt.
Mars prior adversas acies, stragemq; ciebat,
Omnibus antevolans, priscáque à stirpe Pelorum
Myrmidonum assequitur, quem pulcra Memphilia furtim
Ediderat, miroq; ad cælum miserat astu.
Thessalus armorum excitus post terga tumultu,
Respicit: at validum jam tunc arrectus in ensem
Fixerat armipotens pectus, gladiumq; cruore
Spumantem detraxit: hiat sub pectore vulnus,
Eructatq; atram commisto sanguine tabem.
Mercurius levibus libratus in aëre pennis,
Hyppolitum egregium patria Sycione profectum
Remigio alarum premit, & stricta occupat harpe,
Dejectumq; simul vita spoliavit & armis.
Fit sonitus, tum strage virûm, strepituq; ruentûm
Sub pedibus mugire solum, & juga visa moveri.
Stant contrà obnixi Divi, stant omnia contrà
Agmina Terrigenûm, atque ingenti mole Typhoeûs

Vertitur

Vertitur in medios, totumq; attollere cælo
Pelion aggressus, tellurem à sedibus imis
Eruit, & fauces reserat gravêolentis Auerni.
Fit crepitus, ruptoq; ingens Acheronte vorago
Desuper apparet, densusq; ad sidera fumus
Erigitur: volitant vivæ sub imagine formæ
Circum claustra umbræ, defunctaq; corpora vita.
Tum septi tenebris, immisso lumine, manes
Insuetam fugiunt lucem: nova vincula custos
Tartareus, metuitq; novas Proserpina raptus.
Prorumpunt, pars imo Erebo, custode remoto,
Mortales iterùm conati assurgere in auras.
Suspicit haud visum, jam longo tempore, cælum
Androgeöna trahens secum Theseïus heros:
Quàm vellent superas iterùm venisse sub oras,
Tertia sustineant miseræ ut dispendia vitæ:
Sed Styx interfusa vetat, prohibentq; Sorores
Lanificæ: periit medicinæ talis & artis
Fulminis afflatus ventis, Epidaurius auctor.
Hac, turbam imbellem, geminas properare sorores
Cernere erat Pandionias: crudelem Epicasten,
Tantalidasq; omnes: raptam Nycteïda tauro
Fraude patris, tum fraude Dei Salmonida lusam.
Parte pii vates: alia telluris hiatu
Raptus Oïclides, longaq; in veste sacerdos
Threïcius fugit, & modò vir, modò fœmina Mantûs
Corripiens spatium genitor, foribusq; propinquans,
Accelerat, gressusq; adverso in limine figit.
Insequitur procul Amphion, rerumq; magistri
Innumeri, benè qui, brevis hæc dum vita manebat,

Artibus ingenuis toti incubuêre repertis.
Hos inter crudele tuens Cadmea propago,
Ignibus impositam quam flamma inimica diremit,
In diversa ruit: sequitur tellure repostos
Cura eadem, nec causæ irarum morte quiêrunt.
Intremuit cœlum, atque aspectu exterritus axis,
Tartaraq; horrescens immania, Phœbus ad ortum
Retrò legit iter, nitidoq; expalluit ore.
Haud secùs ac visus Grajis Pelopeïus olim
Cùm malè fraternis exarsit amoribus Atreûs,
Progeniem (horresco referens) absumere ferro
Non veritus, patriisq; epulandam apponere mensis.
Ipsi etiam scelerum auctores timuêre: Typhoêus
Exortis stupuit tenebris, recidivaq; rerum
In chaos antiquum natura reversa fuisset,
Ni celer æternas metuens Saturnius umbras,
Terrigenis vastum injectis complesset hiatum,
Atraq; clausisset nigri spiracula Ditis.
Ergò iterùm pulsa toto caligine cœlo,
Rebus ut assuetum lux reddidit orta colorem,
Audacem aggreditur dictis Pallanta Damasor.
Care quid audendum frater, quæ prælia inimus?
Quem Superûm aut Silenûm illatis sternimus armis?
Virginis extremam ægiferæ penetremus ad arcem,
Arcadicamq; manum, & cuneos turbemus agrestes.
Ipse ego ductor ero, dumq; hinc palantibus insto
Cæde viris: illinc securam corripe Divam.
AEgidaq; ereptam in dominæ convertito vultus.
Pallanti placuêre doli, primusq; Damasor
Cum sociis Lycon invadit, Tegeæq; colonos,

Dirum-

Dirũpitq; aciem, & perturbat cæde cohortes
Occiso Pyromante, viros fortißimus inter
Qui fuit Alpheos, parmaq; insignis ahena.
Pantharus auxilio accurrit, vimq; addere victis
Festinat, validoq; movet certamine Martem.
Montibus exiguos credas concurrere colles,
Sicanioq; brevem Melitam se offerre Pachyno,
Tanta mole altis exstant cervicibus omnes
Terrigenæ, solaq; acies formidine rumpunt.
Mox Lycus attollens animos, jam viribus æquus,
Hostibus arma offert, vastaq; Damasora quercu
Fundit humi victum, atque immania membra resolvit:
Tu quoque Cydne cadis, nec te tua Thasime virtus
Eripuitq; pedum levitas, genitore creatus
Incerto, sed matre Thya Garamantide, multis
Autololum quæ rapta procis, compressaq; multis.
Parte alia furto Pallas solertior instat,
Moliturq; dolos, latebrosa per avia lapsus.
Non secùs ac forti veritus concurrere tauro
Cominùs, insidias lupus instruit, atque cruento
Ore inhians, lateri aut tergo insilit acer aperto.
Talis erat, taliq; animo Tritonida Pallas
Ibat in incautam, strepitu haud faciente tumultum:
Divaq; ni clypeo sese eripuißet ab ictu,
Læserat, & jugulo sceleratam intorserat hastam.
Emicuit subitò turbatæ virginis ira,
Et simul ense ferit, simul objicit ora Medusæ,
Audacemq; simul gemina nece dejicit hostem:
Vulnere pars moritur ferri, pars Gorgone visa
Saxificum traxit durata per ossa rigorem.

Obstupuit visu Heriones, eademq; tremiscens,
Aut illis graviora, statim simul arma virumq;
Abiicit: imbellis Dea non ignara timoris,
Increpat attonitum, exuvias ensemq; relictum
Objiciens, probrisq; onerat fugientia terga.
Pantharus hac Meropem insequitur. Peneïa nympha
Quem patre progenuit Tryopa, hûic avus augur Apollo,
Sacrilegus germanus erat sævusq; Erisichthon
Quem malesuada fames, cæsaq; injuria quercus,
Visceribus vastam ingluviem saturare coëgit.
Ille neces inter medias turbatus inermis
Constitit, atque oculos partes diffudit in omnes:
Apparet spes nulla animo, sublata facultas
Effugit: premit hinc hasta Tegeäticus heros,
Illinc effusus Tritonia viribus urget
Bellatrix. fusóq; petit cum sanguine pœnas.
Quid faceret? tumidíne vias asperrima ponti
Intercludet hiems, Austerq; obstabit eunti?
Insilit in maria, & quà se dedit æquor in altum,
Elisit vada falsa imo spumantia fundo.
Sensit id, & motis madidum caput extulit undis
Cæruleus Triton, profugumq; per alta sequutus,
Sedibus Eurypili claudit, conchaq; coactum
Occupat, & calidum fundit tellure cerebrum.
Lausq; rei gestæ memori quo viveret ævo,
Indigenas victi Meropes de nomine dixit.
Sed pater Oceänus, nè immundus olentia fœtor
Membra, vel infelix dilapsa cadavera tabes
Carperet, atque auras inimico afflaret odore,
Esse dedit volucrem, & natis modò sustulit alis.

Præminet

Præminet ore rigens nullo curvamine rostrum:
Penna viret, cœlo tamen haud se credit aperto,
Atque humilis terras juxta volat, ardua vitans,
Criminis haud oblita sui, offensíq; Tonantis.
Ira tamen, parvoq; audacia pectore regnat,
Dumq; nocere nequit Superis, alvêaria circum
Odit apes, & strage furit, miserasq; prehendit
Crura thymo plenas, nidisq; immitibus adfert
Semineces, quod Dictæo sub rupe ferantur,
Excidio Terra genitis, pavisse Tonantem.
Ergò magis fuso crudescit pugna cruore
Diversíq; cadunt: nunc hos, nunc excipit illos
Pantharus, atque acies audentior urget in hostem.
Non quoque deficiunt animi de parte Gigantum,
Exercentq; Deos: Almops iterumq; reversus
In pugnam ruit Enceladus, ruit indè Caphareûs,
Et gemini fratres, Cæneûs, vastusq; Geræstus,
Concordes animæ, genitor quos Autharus Iltha
Matre satos, cristis & versicoloribus armis
Addidit insignes Thracum legionibus: ollis
Par ut amor, sic par odium cœlestia contra
Regna Jovis violento irarum exciverat æstu,
Nysigenûmq; acies penetrant, atque obvia quæque
Prosternunt, cumulantq; ingentem stragis acervum.
Illorum armipotens occurrit Diva furori,
Proxima quam casi Pallantis gloria in altum
Sublimem extulerat, tantiq; insignia facti
Nomina posthabita dederat Tritonidos unda.
Hi jaculis vitam & gravibus defendere saxis
Communi virtute parant: primusq; Caphareûs

Arduus aßurgit, saxumq́ immane minatus
Torquet agens, clypeúmque Deæ tremefecit, & oras
Collisit, molli quas Mulciber ambiît auro,
Diva simul timuit: simul arsit: saxa sudesq́
Diversi circumspiciunt, dumq́ omnia desunt,
Una ingens, toto connisi corpore, littus,
Haud partem exiguam abrumpunt Cadmeïdos oræ.
Dat tellus gemitum: subito maria alta fragore
Implentur: nemora & colles horrore resultant.
Parte avulsa ruunt disjectis oppida muris,
Cum patribus, populoq́, Penatibus, & Laribus DIs.
Cerinthus Chalcisq́ tremunt: subsidere in æquor
Aulida jurasses medium, Bœotiaq́ arva.
Parte alia, infusis cursum mutantibus undis,
Horrescit pater AEgæus, fugiensq́ Geræstum
Ad portus Trachyna tuos, in Cænea magnum
Incidit: utq́ pedes iterùm sine voce repreßit,
Retrò carpit iter: sed adhuc cum fratre Caphareûs
Obstat, & attonitis nondùm datur exitus undis.
Hoc magis ergò hostem fugit, & dum incertus eandem
Sæpiùs itq́ reditq́ viam, refluensq́ fluensq́,
Ambiguis hic error aquis inolevit, & usu
Instabilis manet Euboïcis Euripus arenis.
Non tulit has tantas procedere longiùs iras
Vertice nata Jovis, sævisq́ armata colubris
Obtulit æra viris visenda: statimq́ Geræstus
Vim rapuit clypei, atque aspectu induruit: alter
Insolitum cernens germani in fronte rigorem,
Hæc quid monstra volunt, undè hæc tam mira repentè
Exsistit facies? clamat, mox plura volenti

Dicere,

Dicere, durato vox irrita substitit ore:
Mittere tentanti molem, jam agnata cohærens
Rupe manus, sensim corpus coälescit in unum.
Cænea durities eadem occupat, atque per ima
Membra lapis serpens cava marmore congelat ossa.
Hæc dum Pallas agit toto miracula cœlo,
Terrigenûm occurrit non infima gloria, magnus
Et metuendus Athos, Ciconum cum millibus ausus
Affectare Jovem Divosq; hunc Thracia virgo
Strymonis Edono conceptum flumine fudit,
Omnia Neptuno similem: sic illius ora,
Sic animum & patrios referebat imagine vultus.
Ille videns quàm primùm invisæ Palladis arma,
Se necis ultorem Cænei cariq; Capharei
Promittit, rapta spirans immania pinu:
Thraces idem comites agitant, similiq; furore
Missilia expediunt, omnes in utrumque parati,
Aut scelus ulcisci, aut certæ succumbere morti.
Diva sed eventus varios, belliq; revolvens
Fortunam, non Marte sed arte occurrere tantis
Tutiùs esse viris rata: mox vestigia pressit,
Seq; retrovertens, squallentia crinibus atris
Ægide concussit Phorcynidos ora Medusæ.
Vidit id Olyctes, Nymphamq; aversa tuentem
Aggreditur, dirumq; nefas in pectore versans,
Vim parat: illa dolos ridet, discrimine tanto
Non oblita sui, atque instantem cominùs hasta,
Trans adigens, lævum ferro latus haurit adacto.
Tunc animis juvenum furor additus, atque leonum
Instar eunt, quos asper ovilibus ardor edendi

Cogit, & auditi teneris balatibus agni.
Sed magis in sua fata ruunt: Nam Spartus, Hemonq́;
Ismaridesq́; Melos, saxo per corpus oborto,
Diriguêre statim. Cephalon, niveusq́; Galactes
Solliciti monstris, consternatiq́; pavore,
Lustra metu diversa petunt: Pangæus Agyrtes,
Qualis erat gladio arrepto, lethumq́; minanti
Transiît in silicem assimilis: Rhodopeius heros,
Attonitus simulacra modis torpescere miris,
Infremuit, reprimensq́; pedes, radicibus altis
Crura cohæserunt tellure, geluq́; rigescit
Marmoreo, atque omnes ligat horror saxeus artus.
Dumq́; manus iterùm affectat, cœloq́; minantes
Erigit, in geminas abierunt brachia cautes:
Ora movet, vocémque amans molitur, at imo
Gutture vocis iter clausum, atque allisa palatum
Lingua ferit mutum, & verba imperfecta profatur.
Horruit infelix gelido sub gurgite Strymon
Festinos cari casus & fata nepotis.
Occultumq́; gemens canis tegit ora capillis.
Ipsa etiam patrio genitrix excita profundo
Indoluit Rhodope, atque iterùm caput abdidit undis,
Assiduè irrorans manantibus antra querelis.
Intereà Alcyoneûs, quem jam manus Herculis antè
Straverat, & semel umbroso demiserat Orco,
AEtherias iterùm captavit naribus auras,
Fortior & solito tacta tellure revixit.
Non aliter Libycis vastus luctator in oris,
Alciden stetit adversus, victoria sterni
Cûi fuit, & victus major surrexit arena.

Sed titubantem, & adhuc retrò persæpe labantem,
Turbine correptum Iovis alto vertice nata
Aëra perliquidum patrium conjecit in Isthmum.
Ille quidem, graviter scopulis allisus acutis
AEgrè animam trahit, at tantus sine vulnere lapsus
Officit haud quidquàm, & graviores concipit iras.
Talis erat turba capitum, damnisq; superba
Hydria datis, semper geminato immanior ore.
Talis erat ternis animis Præneste sub alta
Quondam Herilus, cûi vitam Evandrius abstulit ensis.
Neu quidquam indignum sceleri atque immanibus ausis
Linqueret, ingenti quingentos fragmine montis
Silenûm oppreßit, nigroq; immersit Averno.
Vix Therus elapsus dextro pede debilis: Ocnus,
Et Clytor, & Triphylus, vita sub mole relicta,
Oppetière necem: quorum solertior Arcas
Incrementa Clytor radiantis menstrua Lunæ
Noverat & quandò fraternis æmula flammis
Ore micet pleno, quandò inter mestris in arctum
Parva senescentis vanescant cornua frontis.
Non tamen his scitis, & rabies expleta cruoris,
Ipsa animos addit Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone, saxumq; immanius illo,
Quod pater AEolides semper revolubile trudit,
Torquet in Alciden, quò pontus & altus Olympus
Infernæq; domus reboant: venientis at ictum
Alcmena satus, excepit, clavaq; trinodi
Reppulit, & Graja fixit tellure, nec illud
Mille viri, centúmve loco movere juvenci,
Tum contrà arma rapit, nodosaq; tempora circum

Tela rotat, magnisq; invadit viribus hostem.
Non si Sisyphides, quot fert Sicyonia baccas
Terra, sinus nautas Crissæus, & æra Corinthus,
Aut etiam plures animas habuisset: at omnes
Eripuisset, atrox tanto Tirynthius æstu
Irarum furit, & vi fertur in ora Gigantis.
Deficit actutùm Alcioneûs, quassatáque anhelant
Ilia singultu, & lacero vomit ore cruorem
Impurum, obsessasq; premit mors aspera fauces.
Deînde cadit, clypeumq; super devolvitur ingens.
Non secus ac ventis, & fulminis alite jactu
Ima avulsa ruat quercus radice: resultat
Omne nemus, magnoq; crepant virgulta fragore..
Extemplò pavidas natarum allabitur aures
Nuntia fama, patris crudelia fata recensens.
Territa cunctarum calor ossa relinquit, & artus
Occupat attonitos frigus: cecidêre remissis
Hinc colus hinc fusus digitis, excussaq; pensa:
Utq; animus rediit, scissis cum veste capillis,
Immemores decoris, tecta alta ululatibus implent
Una sed Alcyones inter mœstissima Nymphas,
AEtherios nondùm collapsa receperat haustus
Asterie, tantus præcordia vicerat horror,
Utq; refecta graves oculos, oblitáque vitæ
Sustulit ora solo, & fœdatos pulvere crines.
Quid queror, aut ubi sum, prô Juppiter, inquit, an armis
Occidit Alcyoneûs genitor cœlestibus? ultor
Nec potuit ferro tam fœdum avertere fatum?
Non Almos, non Porphyrio potuêre jacentem
Eripere, & miseris servare nepotibus? omnes

Exstinxisti

Exstinxisti: quid si fugienti obsistere vitæ
Concessum, calidisq; novissima vulnera lymphis
Abluere, exsequiisq; supremum reddere honorem?
O patrui, pater ô, nunquàm rediturus abibas?
Quid sequimur fugimúsve, infelix turba Sororum?
Occidimus, patriæ luimus facta impia dextræ:
Crudelis, si non eadem quoque fata parárit
Progenies, nolitq; invisam abrumpere lucem.
Quid dubitamus? an ut Superûm quis tecta domosq;
Destruat, aut captas ducat sævissima Pallas,
Servitiumq; immite, & tristia quæque minetur?
Aut etiam seros hiberni ad luminis ignes
Exercenda ferat non æquis stamina jussis,
Imperiosa, & fœmineas trux exserat iras?
Quin & erunt, quos insanis scelus efferat ausis,
Quiq; illibatum ingenuo tentare pudorem
Corpore non veriti, rapiant, zonamq; recingant.
Ad pejora reservamus nos nostraq;: damnis
Omnibus his finem statuet mors atra futuris,
Dixit, & ex alta misit se prima fenestra:
Dumq; cadit, Drimo labentem nomine clamat:
Me comitem spernis? sequor: Alcippenq; prehensam
Præcipitat secum: Phthoniæ placet exitus idem,
Et Palena tibi: turbata Methona Sorores
Voce vocans, multumq; gemens miserabilis Anthe
Tandem etiam dulcem vitam lucemq; perosæ,
Projecêre animas: vidit Neptunia conjux,
Vidit & ingemuit, nec sivit in æquore mergi,
Et quot virgineæ fuerant, mira arte volucrum
Se totidem reddunt facies, sumtisq; Torones

Littora nota petunt pennis, semperq́ morantur
Fluctibus, & scopulos lacrymosis vocibus implent,
Dilectæ Tetidi Alcyones, nymphisq́ marinis.
Intereà Cyprii paßim diversa Cerastæ
Arma movent, altis nemorosæ vallibus ossæ,
Obscuriq́ adsunt dumis, urgentq́ Dianam,
Arboribus defensi atris, densisq́ salictis.
Hoc sensit Dictynna, canes sensêre sagaces,
Quos malè Gargaphia Cadmeö visa nepote,
Nec domini contenta nece abstulit, inq́ triumphum
Duxit, ut exstarent tanti monumenta furoris.
Prima Dioxippe, & Cressa de gente Pachitos,
Dum ramosa vident per apertos cornua saltus,
Cervos esse rati, ruptis magno impete vinclis,
Accelerant, prædamq́ petunt: Oresitropus atris
Distinctus maculis sequitur, geminiq́ Lacones
Pamphagus & Theron, & truncis auribus Alce
Truncatusq́ Charops cauda, hirsutusq́ Machimus,
Albus & Ichnobates humeros, sed cætera fuscus.
Subridet Diana, novæ spectacula pugnæ
Aspiciens, turbamq́ omnem dissolvit habenis.
Nec mora, prorumpunt castris: ceu turbine nigro
Aspera fertur hiems: vel celso vertice montis,
Humidus immensam cùm vim pluit Auster aquarum,
Ima petit torrens, seseq́ effundit in agros.
Vidit & Orion animos Lunæq́ labores,
Quam coluit, quam sæpè suis venatibus auxit,
Extemploq́ citum Procyona imittit, & acrem
Lælapa, spumantes quo nemo sagacior apros
Immanésve lupos, aut celsum in cornua cervum

Venari

Venari edoctus, lustrisq; effundere in æquor.
Fit strepitus, sævitq; canum latratus in auras:
Diffugunt Cyprii, qua proxima meta viarum
Tesqua per & dumos aperitur: fortis Hylactor,
Nebrophonusq; premunt vestigia, cumq; Lycisca
Matre Lacon: Pterelasq;, Napeq; Thousq; sequuntur,
His se addunt Canache, Leucon, Dromas atque Melampûs
Theridamasq; sagax, plantis pernicibus omnes
Præstantes, unaq; omnes de matre creati.
Pœmenis Omphaleum premit ore: Harpya Philacten:
Theriope Spartana Pelan: ipsa agmine Phœbe
In medio, chlamyde & pictis conspecta pharetris,
Clamantis jaculum bacchatur in ora Pharebi,
Ut tota cervice tremens cum cuspide ferrum
Exstaret: cadit ille cruenta stratus arena,
Vastaq; lethali solvuntur frigore membra.
Tum Rheteöna petit telo, Cressumq; Mimarton,
Ad rapidum nympha Cortynide cretus Oaxem
Qui fuit Idalio Syroä genitore: statimq;
Ense ferit Retheöna: Mimarton odora canum vis
Fraude loci, & dubia sylvis regione viarum
Oppressum, rapit, atque immiti eviscerat ore.
Hinc fugit AEpyceros trepidans, fugit indè Coryptes,
Quîs stipata cohors obstant, cursuq; cientes
Pulveream nubem, properant, facto agmine, in hostem.
Dentibus hunc retinet Menaleûs, jam calce prehensa:
Illius ambiguum sed per compendia nota
Dinomache prævertit iter, rectaq; minatur
Fronte necem: AEpyceros sed adactis cornibus alvum.
Dissecat, & gemino rumpit genitalia fœtu

Viscera, nam gravidus labefecerat ilia partus.
Subvenit auxilio Clytius, vastusq; Erymanthus,
Ordine quem longo quotquot Phænica, Melamq;,
Apidanumq; bibunt, animisq; opibusq; sequuntur.
Mox prior aggreditur Clytius, verbisq; profatur
Irridens: Dictynna virûm sese inserit armis,
Terrigenis ausa imbelli concurrere dextra?
Egregiam certè te miror Amazona, quiddam
Fœmineam supra ausuram memorabile sortem.
Credo equidem foret illa tuïs res digna triumphis,
Amplexu superare virum: sunt hæc spolia altis
Suspendenda tholis: quibus Endymiona bubulcum
Annumerare queas, nec spreta cubilia Panos.
Alpheus tibi verus ero: non oblita cœno
Ora neci eripies: non fata videntia falles.
Noster amor tantùm momento crescit in uno:
Utq; scias, hoc sit veri tibi pignus amoris.
Dixit, & excelsè sublatam dirigit hastam,
Aurea quà cohibent exsertam cingula mammam,
Atque levi tenerum strinxisset vulnere pectus,
Si non mota loco venientem protinùs ictum
Cynhia vitasset: furiis illa effera, & alto
Corde premens iras: etiam hæc testantia mentem
Sint tibi signa meam, clamat, mittitq; sagittam
Stridore ingenti: illa alis allapsa sinistrum
Terrigenæ inq; latus devenit, & ilia rupit.
Tunc conferre manum, & clamore incumbere magno
Cernere erat socios: Triviam circumstetit horror,
Clamantûmq; minis, & duro mota tumultu,
Auxilium implorat fratris: sensêre Gigantes

Adventum

Adventum strepitumque Dei, retroque tulère
Signa pedum, & montes Phoebe petière relicta.
Temporis intereà spacium Dea nacta nocendi,
Lathmia saxa petit, quondamque reposta cavernis
Pharmaca depromit, vertendis facta figuris
Virginis ingenio Perseïdos, arte resectis
Ad Lunam variis terræ pubentibus herbis.
Quoque foret melior vis inveterata veneni,
Ipsa soporiferum Lernææ virus Echidnæ,
Cerbereumque aconitum immiscuit, atque cicutam,
Plurimaque Atraciis quæ toxica nota puellis
Vertice Pel:aco nascuntur & Othryos alti.
His iterùm umbroso se Diva ferebat ab antro
Jam secura metus: cœlumque invecta tenebat.
Accelerant subitò Anguipedes, clamoribus acti
Horrendis, solamque petunt super omnia Divam:
Illa fugam simulat, bigisque per aëra rapta,
Arcadici placidum Alpheï descendit ad amnem.
Tum Pholoë insultans, hæc certi signa timoris
Esse ratus: Cessamus, ait, premimúsne fugacem?
O juvenes, tantis an digna rependimus ausis?
Scilicet hæc cœlum spoliis induta Gigantum,
Et nostris petet exuviis: tot funera fratrum
Ediderit, sociûm primos tot miserit Orco?
Occiderit ferro Clytius, saltúsque Cerastûm
Sanguine sudarint Ossæi, & littus Enipeî?
Mecum animas offerte hosti, lethumque Dianæ
Instauremus idem, sceleri si digna reposco,
Talibus accendit, viresque hortatibus addit:
Insequitur fremitusque virûm, sonitusque ruentûm.

Menalus armatos pedites: Onchestius Azan
Addit equos equitesq; : Lycæus primus ad arma
Concurrit, saltusq; omnes custode coronat.
Diva statim obscuræ convexo in tramite sylvæ
Excipit hunc, sparsumq; cruenti tabe veneni
Efficit ingentem sublimi vertice montem.
Nec procul Herionem, insidias post terga parantem,
Pan Deus Arcadiæ sylvestris robore quercus
Arreptum letho domat: hinc Latonia fertur
Arvorum pecorisq; Deo sacrasse Lycæum.
Lampeum & Nonacrin idem medicamine miro
Exitium rapuit: celsas Psophidos ad arces
Occupat attonitos Erymanthi frigidus artus
Horror, & in sylvam coma frondentesq; cupressos
Funditur, & fluvium parit, Alpheoq; per imas
Quærit iter valles socio, dum vectus ad oras
Sicanias, Arethusa tuis confunditur undis.
Dein Pholoëon, vastumq; armis Rhipæon, & acrem
Mænalon aggreditur, cunctosq; potentibus herbis
Induit in montes gelidos, & lustra ferarum.
Dives inaccessis ceu Solis filia lucis,
Transformata virûm medicatis frugibus ora
In faciem mutata novam, vertebat in ursos,
Setigerósve sues, fulvorum aut terga leonum,
More feræ clausos miserè præsepibus altis.
Obstupuêre animis Styphalus & impius Azan:
Quid faciant? turpine fuga an virtute salutem
Incolumem expediant? timor hanc, pudor impedit illam.
Dum dubitant, Azanis atrox per pectora virus
Cynthia diffundit, sparsoq; liquore furentes

Excitat

Excitat alipedes: illi ut sensère venenum
Visceribus lapsum, calidisq; hærere medullis,
In furias fremitumq; ruunt, frenisq; solutis
Aurigam currumq; simul per celsa volutant.
Nunc Pholoën, notumq; priùs feritate Lycæum
Transmittunt: timor haud fluvios innare rapaces
Nuncq; humiles, iterùm sublimes surgere in auras
Non sic durus amor, Venerisq; afflata voluptas,
Fœmina cùm noto nares accendit odore,
Flumina per montesq; marem rapit, atque fatigat,
Donec inexpleti stimulos avertat amoris.
Horruit aspectu Berecynthia mater, & ullo
Nè quis fortè Deûm montem sibi vindicet ævo,
Ipsa sacras fixit frondoso in vertice sedes.
Ast lateri avulsum sibi dum malè cernit amicum
Stymphalus, fugit effusè, Divamq; tremiscens,
Quod timuit jam totus erat: nemus ilice densum
Cæsaries dedit, & sparsi per colla capilli:
Montis apex caput est: humeri juga bina: lacerti
Ventre cohærentes vasta se mole per agros
Protendunt: tenuem velut attenuatur in auram
Spiritus: humor aquæ fit simplicis, inq; Pamisum
Sanguis it: ille cadens raucum per læuia murmur
Saxa ciet, cultisq; furit damnosus in arvis,
Sæpiùs ut gravidis procumbat culmus aristis,
Spemq; fatigati defraudent rura coloni.
Hæc quis fortè, cava dum vellit ab ilice glandes,
Saxa videns subitò sylvestribus horrida dumis,
Totq; novos vastum montes se effundere in æquor,
Ignotasq; inter decurrere flumina valles,

Extimuit, famamq; rei, factumq; nepotes
Transtulit ad seros, omnis quod credidit ætas.
Nec jam vana fides: non est dubitabile verum,
Facta patent, certisq; licet cognoscere signis,
Arcadiam servare nigri vestigia succi.
Hinc Phenei nocturna bibentibus officit unda,
Lymphaq; Clytorii calido contraria Baccho,
Tædia certa parit vini: Hinc gravis horrida taxi
Umbra nocet: fugias hanc fesse viator ab æstu:
Hic tibi dira quies, si credas membra cubili,
Lethæum æterna patieris morte soporem,
Hinc Nonacrinis qui rupibus effluit humor
Fit tacta tellure lapis, potusq; calorem
Vivificum necat, atque inducit frigora membris.
Hunc ne fictilibus concluseris inscius ollis:
Testea vasa gelu, & firmissima rumpit ahena.
Afficit exesum scabra rubigine ferrum,
Tàm fera sævit hiems, vis est tàm mira veneni.
Intereà armipotens ingenti cæde peracta,
Cum spoliis redit, exuviis induta Lycæi,
Diva, laboranti ut succurreret impigra cælo.
Namque ubi concêpere iras, victiq; dolore
Invenere viam furiis, per tela per hostes
Terrigenæ arma ferunt: Ephialtes Pindon & Ossam,
Pelion Enceladus vastumq; Athamanta cohortes
Volvit in ætherias Homolen rotat acer Orius:
Besbicus & Briareûs socio juga robore vellunt
Ardua Pangæi: immanis Libethron Alœûs,
Ismaron Otus agit, Rhedopen Adamastor & Hæmum,
Iäpetus Titaron, Meropum trunculentus Echion,

Pïeron

Pieron Oromedon. Missorum involvitur atro
Telorum imbre polus, spissisq; offunditur umbris.
Non aliter quàm cùm lucem circum ætheris alti
Eripuit volucrum densis exercitus alis.
Ante omnes rex Eurymedon magnum agmen ad astra
Cogit, & imperii pubem venientis amore
Instigat Phœacam, animísque audacibus implet.
Terribilis centum manibus centena Typhoëus
Tela regit, totidemq; efflat de naribus ignem.
Aspera pars gravibus miscet certamina contis:
Montibus armatur pars maxima: Cœus Olympum
Viribus aggreditur magnis, partemq; revellit.
Saxum immane Mimas, campo quod forte jacebat,
Ad cœlum cum voce rapit, raptumq; Dianam
Torquet in instantem: sed frustrà, ictúsque fefellit,
Deciduumq; ruens, perniciùs alitis Austri
Flamine, vel Parthi jaculis, cadit inter Halæsum,
Iöniumq; Melan, velut actus nubibus imber:
Ardua terrarum reboant: Cinyreïa Smyrna
Phocaïcusq; sinus nutant, atque Asia longè
Pulsa palus, cygnisq; sonantia prata Caystri.
Penè simul Pteleon, priscasq; involvit Erithras,
Tanta mole silex, hinc Trallibus, atque Tymolo
Imminet, hinc Lebedum protenditur usque, sacratam
Relligione patrum Phœbo, scenisq; Lyæi,
Auctorisq; tenet cognomina certa Mimantis,
Obvia Cœlicolæ, & crudo cum Marte Minerva
Arma ferunt: longè ante alios Tirynthius heros,
Horridus in jaculis, & victi pelle leonis,
Agmina ductor agit, vastaq; Aphestora clava

Occupat, extenditq; solo, quem propter eodem
Concidit Oromedon fato, ditißimus auri
Qui fuerat, magnúmque alta tellure repostum
Argenti pondus longo celaverat ævo.
Ille quidem poterat lethum evitaße, dedisset
Antè nisi pectus telo malesanus inermum.
Tum lucta aggreditur Calarim, Telephumq; trucidat,
Ausum, immane nefas thalamum incestare Sororis
Enixumq; vado Sperchii immergere partum:
Ille cadit, scelerísque sui dat sanguine pœnas.
At furiis Stheneli mens effera, triste suorum
Bellum animo versans, magna volat obvius ira,
Et latus Alcidæ jaculo rimatur adacto:
Frustrà equidem, magnisq; urgens conatibus hastam,
Perrhæbi graviter sub mento guttura fixit
Olyari, dextræq; fuit justißimus error.
Ter conatus idem Litagus: ter maximus armis
Obstitit Alcides, solusq; immota tenebat
Tela tot adversus, nec quidquàm animosa remisit
Corda, pedésve retrò preßit, licet undiquè saxis
Obrutus, & crebris resonarent ictibus armi.
Haud secùs atque canum sylvis latratibus actus
Sævus aper, multos quem nubifer Apenninus
Pavit arundineis Vestinûm saltibus annos:
Ille plagas inter, si quando ad prælia ventum est,
Venantûm rapido immissas dente excutit ornos,
Deterretq; canes, spumasq; agit ore cruentas:
Stat Picena manus circùm, pubesq; Sabella,
Mirantesq; feram, atque horrentes tergore setas,
Irritant tutis longè clamoribus Umbrum.

Pergit

Pergit adhuc satus Alcmena, violentior ira,
Quaq; virûm globus à tergo densissimus urget,
Prorumpit, clavaq; Gabino Aniene profecti
Diffidit os faciemq; Dari, gladiúmque nitentem
Eripit à victi femore, ereptumq; coruscat
Terribilis, ferroq; viam molitur, & urbe
Ositropum Megara, patriaq; Medonta superbum
AEtola, mediam ante aciem trahit, & per utrumque
Transadigit gladium: olli alto tellure recumbunt
Cum sonitu, sparsaq; velut luctantur arena.
Iphinöum, sociis dum vult succurrere lapsis,
Fata tulêre eadem, & stratus prope concidit ambos,
Suspiciensq; iterùm cœlum, jam mente recepta,
Palantes inter reliquos gemitumq; cadentûm,
Threïcia de gente videt, sed terga parantem
Vertere Stesiarum, projectis turpiter armis,
Cujus opem implorare volens, frustratur hiantem
Irrita vox, funditq; animam pro voce sub auras.
Parte alia latè metuendus Juppiter atris
Fulminibus furit, & cœlo cava nubila rumpit:
Præ reliquis dum bella movet, Martemq; fatigat,
Corripiunt Erinæum ignes, hirtamq; repentè
Crinibus exurunt barbam, illapsiq; capillis
Assiliunt, gratumq; comæ populantur honorem.
Ille quidem manibus tentat divellere flammas,
Atque avidas inhibere faces, diffusus at ardor
Exsuperat, sumuntq; novas incendia vires:
Tum demum horrendum frendens, magnoq; dolore
Efferus, in vada se gravêolentis rauca Sicendi
Præcipitat, flagrantiaq; ora palude volutat.

Sed sacer ignis aquis mediis magis ardet, & æstu
Visceribus sævit, nullaq; domabilis unda,
Dum quid pinguis adhuc superest in corpore succi,
Quæq; voret, flammis alimenta rapacibus exstant.
Obstupuêre animis liquidi gens incola stagni,
Sævius imperium Jovis, horrendisq; Tyrannum
Ignibus armatum metuentes æthere lapsum:
Moxq; timore omnes veterem pressêre querelam,
AEternumq; tacent, atque alta silentia servant.
Nec procul hinc Cinnum trepidantem & dira paventem
Supplicia aggreditur Belus, retrahitq; fugacem,
Avulsumq; humeris caput, & sine nomine truncum
Corpus humo tectum, foveis abscondidit, undè
Nomen habet, quondàm raris habitata colonis,
Sed nunc Cinna potens, Athamanisq; inclyta terris.
Diffugiunt reliqui, sylvisq; teguntur opacis:
Se quoque circumstent quæ deînde pericula Rhœcus
Aspiciens, fugit, & mota cervice, reflectit
Retrò oculos, umbræq; sequentis terret imago.
Tunc etiam immanem vidêre Typhoëa primùm
Turbatum, & Superos cœlestiaq; arma timentem:
Tunc minùs audaci Encelado fiducia cessit.
Instat vi pater omnipotens, solumq; per omnes
Typhonem petit, in solo Typhone moratur.
Ille per AEgæum fugiens, Asiamq; propinquam,
Ad gelidos Scythiæ populos, ubi cautibus horrens
Caucasus, intonsusq; assurgit ad astra Niphates,
Se Jovis eripuit conspectu irámque fefellit,
Segnior haud sequitur per Caspia regna, ferosq;
Juppiter Hyrcanos, deprênsumq; igne trisulco

Sauciat,

Sauciat, atque omnis, si mens non læva fuißet,
Terrigenûm hoc uno res procubuißet ademto:
Mars nec Aloïden sensißet, tale nec unquàm
Imperio Jovis exitium venißet & astris.
Heu fati ignari Superi: sine fulmine, inermis
Irruit, immani fretus se offerre Typhoëo,
O cœlum, ô Divûm domus ardua, & inclyta bello
Mœnia cœlestûm: quater ipso in vertice montis
Substitit ipse Gigas retrò quater arma repressit,
Immemor at pergit discriminis, atque furore
Cæcus, atroci audet lucta contendere monstro:
Ex illo spes fracta Deûm, labefactaq; virtus.
Corripit amplexum Typhon, & fortia circum
Brachia dat, spirisq; in nodum ingentibus arctat,
Tum sic devictum alloquitur centenaq; solvit
Guttura. Venisti tandem exspectate Typhoeo,
Saturni genus egregium, datur ora tueri,
Audacesq; manus, quîs fanda nefanda minatus,
Et lethum Tellure satis? sic rebar, amice,
Tempora dinumerans, venturaq; fata, futurum.
Nunc hominum Divûmq; pater mea regna videbis,
Misceriq; tuo totum sine numine mundum.
Quid tibi mentis erit cernenti talia, sensus
Qualis erit? Terragenitos considere cœlo
Invidia est, astrisq; nefas regnare Gigantes?
Fas equidem illatus justumq; parabitur armis:
Invidiæ mors atra dabit regniq; sequestrem.
Omnia nunc, licet, assumas miracula rerum:
Victori insulta truculentus imagine Tauri,
Et, velut Asterien, Aquila luctante teneto:


Cygneas simula pennas, vel sævior anguis,
Corripe funesti mea pectora tabe veneni.
Ut corpus redimas, cœlo pluat aureus imber,
Saxaq; mutatæ solvantur in horrida nubes,
Quid cessas, sceptróne cares, num fulmina desunt?
Concute fœcundum pectus, tibi mille nocendi,
Mille artes, núnc una det ut solvare, vetetq;
Terrigenis ferro sceleratum exscindere cœlum.
Talibus insultat malè sana mente Typhoeûs,
Multa Jovi objiciens, oneravitq; æthera probris.
Est locus, æquoreos Cylicas quà pontus ad Austrum
Alluit, inq; sinum scindunt se bina recurvum
Brachia, jactatis statio tutissima nautis.
Corycus hîc (opus humana haud imitabile dextra)
Relligione sacrum specus est: multisq; timore
Numinis excultum populis: locus ipse videnti
Horrorem incuteret, tanto cælaverat arcum
Natura ingenio, levibus testitudine tophis,
AEtheris in morem, educta laquearibus altis.
Intùs aquæ vivæ, & nativo pumice sedes,
Nympharumq; domus: circùm genialis odores
Terra parit varios, casiam semperq; rubentis
Tenvia fila croci: tum sylvis scena coruscis
Desuper incumbens, obtentu frondis inumbrat.
Hunc pedibus raptum, ex humeris, ceu turpe cadaver,
Suspendit: misero cervixq; comæq; trahuntur
Per terram, squallentq; sereni pulvere vultus
Et primùm indigetes Nymphas, quò testis abesset,
Ejicit, & longè vulgus sibi submovet omne.
Semianimem indè Jovem speluncis abdit opacis.

Carceribus clauſum circùm, atque horrentibus umbris.
Neu quid inexpertum ſcelerum eſſet, neu quid inauſum
Linqueret, erepto (dolor heu) manuumq; pedumq;
Enſe ſecat nervos: ſubitò convolſa dehiſcunt
Uulnera parva priùs, contractaq; membra rigeſcunt,
Tormenti genus infandum, cædesq; Tyranni
Effera, ut incluſum longa ſic morte necaret,
Omnia cujus erant, ætas quem nulla coactum
Viderat: antè amplus cùi non ſuffecerat orbis,
Terræq;, tractusq; maris, cœlumq; profundum.
Quem nec Atlas, Criusq; ferox, non arte Prometheûs,
Non anni domuêre decem, non arma Parentis.

L



BELLI GIGANTEI LIBER TERTIUS.



EXtemplò totum volitans pennata per orbem
Fama ruit, captumq; Jovem, vinclisq; coactum
Nuntiat, & Cœlestûm improvida pectora turbat.
Cernere erat largos omnes effundere fletus,
Et Jovis indignam sub pectore volvere sortem.
Luctus ubiquè ingens, pavor ingens, omnia tristi
Plena metu: sonitus sylvarum, auræq; strepentes
Horrificant animos: Non ullo tristior ævo
Visa poli facies, postquàm pater extudit orbes
AEtheris omnipotens, & prima exordia rerum.
Junoni inprimis gelida formidine pectus
Diriguit, sciditq; comas, percussa decorum
Sæpè manu pectus, mediaq; in voce resistit
Suspirans graviter: circùm, longo ordine, Nymphæ
Bis septem aßistunt, lacrymisq; fluentibus ora
Mœsta rigant, clamantq; Jovem: resonabilis Echo
Pulsa Jovem ingeminât, & fœmineos ululatus.
Ceu volucris, caram cûi cura educere prolem,
Dum legit ore cibos, parvisq; Quiritibus escam,
Prenditur immani malè provida vulturis ore:
Implumes miserè latebroso in pumice nati
Exercent teneros questus, matremq; requirunt
Funeris ignari, &, modò si sonus impulit auras,

Ora

Ora tenent, frustraq; inhiant, iterantq; querelas.
Terrigenis iterùm redit in præcordia virtus,
Major & aßertis crescit fiducia rebus:
Lætitia exsultant pariter, plausuq; frementes,
Non diuturna fovent incertæ gaudia palmæ
Jam revocare fugam, & certam sperare salutem
Incipiunt, animoq; polum & super ardua scandunt
Sidera: quisque sibi Cœlestûm spondet honores.
Non secùs ac hiemes perpeßa, gravesq; ruinas
AEtheris, infuso demittit amaracus imbre
Triste caput, pluviisq; comas turbata fatiscit.
At jucunda dies faciesq; innubila Phœbi
Si redeant, iterùm cœlo rediviva sereno
Explicat os vernum, & priscum meditatur honorem.
Ergò atrox Briareûs, unaq; Phalacrius arma
Suscitat Eurymedon, & festa fronde revincti,
Tercentum statuunt aras, maternaq; sacris
Numina muneribus cumulant: pars thure litato
AEra Idæa quatit: pars Oricia terebintho
Obloquitur digitis biforis discrimina cantus:
Tympana pars pulsat: tandem Phœacius heros
Concilium cogit sociorum, & talibus infit:
Nunc vos astra vocant data, nunc spes discite vestras
Juppiter auxilium eripuit, non tela vel ignes
Qui regat est quisquam: jam fulminis auctor ademtus,
Principium palmæ, victoria certa sequetur.
In manibus tellus nostris: tot millia gentis
Terrigenæ arma ferunt: tantùm sublimia restant:
Hæc quoque sunt olim nostros auctura triumphos.
Nil me fata movent, nil ferrea iussa Sororum.

Sat Parcis fatisq; datum, quòd regna, políque
Rexerit imperium jam longo Juppiter ævo.
Sunt etiam mea fata mihi, & si nulla fuissent
Atropos ad nostrum sua ferret stamina nutum.
Semideis hæc pensa viris dominantur: at illis
Inferiora, ardens quos vexit ad æthera virtus
Militiæ haud Saturnus erit, pacisq; magister,
Nec Latiis profugi condemur turpiter oris.
Exsulat à nobis hoc probrum, & inertia furta
Iäpetionidæ: non hîc Epimethea stultum
Esse putent, decimum quem distulit acer in annum
Cottus, & adjuncti fratres Briareûsq; Cygesq;.
Nunc mutata loco cessit fortuna, Gygesq;
Et Briareûs, cœlum exosi, nostra arma sequuntur.
Ergò animis juvenes promti, officiisq; parati,
AEtherios ferro atque igni circumdate muros:
Fossarum superate moras: exscindite vallum
Ensibus objectum, atque armis obsidite portas:
Cuncta patent, nec Cœlestûm vis ulla vetabit.
Talia voce tonans verbis cœlum omne replebat:
Ingeminant sylvæ, & duplicata resultat imago.
His furor exarsit, penitusq; efferbuit ira,
Insanoq; iterùm juvat indulgere labori.
Invia nulla putant cœlo, & totum æthera mente
Concipiunt, liquidoq; fruuntur nectare Divûm.
Pars sese accingunt operi, atque immania sylvis
Robora, tarda moræ, ne obsint dispendia longæ,
Infabricata ferunt: disjectam attollere molem
Pars agitant, cœloq; altos educere montes.
Theödamas rapit Othryn: atrox cum fratre Thoöne
Astræus

Astræus frondosum involvere Pelio Olympum
Vi magna aggreditur: congesta cacumina summas
Exsuperant nubes, cæloq; minantur aperto.
Tantus Atlas vix assurgit conterminus astris,
Tantus inaccessis nec rupibus Indus Aörnos
Erigitur, quem non volucres, non ipsa supremo
Cara Jovi, sublime volans, superaverit ales.
Et jam, principium pugnæ, clypeata relictis
Agmina procedunt castris, altumq; Typhoeûs
Vociferans, Cœo Phœbiq; à sanguine Aloêo,
Explorent aditus, cælumq; indagine cingant,
Imperat: insidiis totidem post terga relinquit,
Fraudibus insignem Enceladum, sociumq; Mimanta,
Ambo animis, ambo arte pares, nec Marte secundo
Hic sit an ille prior res cognita. Cætera pubes
Eurymedonta ducem sequitur, spiratq; cruentas
Ore oculisq; minas, & plurima vulnera Divis.
Sedibus æthereis contrà supera alta tenentes
Arma acies rapiunt pavidæ, rationis in armis
Nec sat inest, tantus Cælestûm pectora terror
Horrificat, magnoq; fovent discrimine vitam
Spemq; metumq; inter, dubii, num tendere contrà
An celerare fugam, & deserto excedere cœlo
Expediat: Vetat hoc Titanum exercita fatis,
Atque decennali bello spectata juventus:
Illud fama jubet gestarum maxima rerum,
Cælituumq; occursat honos, quos ultima Thyle,
Ultima Taprobane, & sub utroque jacentia Phœbo
Littora suspiciunt, Erebiq; reposta tremiscunt.
Non patitur turpem virtus invicta repulsam,

Exsuperatq; metus, hostémque relinquere inultum
Ira pudorq; vetant: tum desperatio mentem
Magnanimam inspirat, calcarq; ad fortia subdit:
Quoq; magis metuunt, magis incrementa furori
Adjiciunt. Veluti cælo densissimus Auster
Cùm fœdam glomerat tempestatem imbribus atris,
Aut æstate nova, aut cùm Sirius ardor anhelat,
Quò magis insurgunt nubes, intensior intus
Hoc magis æstus atrox feruet, luctatur & aura
Liberiore frui, graviorq; immurmurat horror,
Atque fragor longo perlabitur aëra tractu.
Intereà armipotens Superis instabat Aloëus,
Egregio invectus curru, cui Solis & omne
Antiopes genus, atque insignia facta parentum
Per tot ducta viros, insculpserat acer Omarus
Artifices inter toto celeberrimus orbe.
Frena Pelethronios cohibent aurata jugales,
Insultare solo, & gressus glomerare superbos
Assuetos, pedibúsque leves prævertere ventos.
Mox cœli ad portas & propugnacula prima
Bellicus exoritur, vario certamine, clamor.
Cœlicolæ obsistunt ferro, atque angusta locorum
Milite defendunt objecto, aditusq; coronant
Ensibus exsertis. Torvus media irruit arma
Gradivus, non ille virûm, non ille Gigantum
Telorúmque memor, crebrisq; exasperat iras
Cornipedum plagis hinnitu complet acuto
Armiger astra Phobos: Dimi per colla fluentes
Ventilat aura jubas, & spuma exæstuat ore.
Phœbigenam vidit Mars, Martem vidit Aloêus,

Concurruntque ab utraque æquali parte furore.
Mars, prior ausus equos venienti offerre, virique
Tendere in ora: Gigas haud illo segnior, ense
Lora ferit stricto, & primus retinacula solvit.
Acrior hoc Mavors, humeris jam jamque prehensis,
Avellit clypeum: ille fuga versisque quadrigis
In diversa ruit, turpique elabitur astu.
Vidit ut elapsum, gravior dolor ossibus ardet,
Atque iterùm à tergo reparatis instat habenis.
Hinnitur strepituque rotarum excitus Aloêus,
Sistit equos dubius, veteresque recolligit iras.
Fit sonitus plausuque Deûm, studiisque faventûm.
Illi inter sese magnis conatibus urgent
Quadrijuges, altè exsertis in vulnera dextris.
Non aliter, quàm si gemino de cardine mundi,
Hinc Aquilo, indè Notus, diversis viribus ambo
Incubuêre mari, & multa vi prælia miscent:
Hac hiemes, Scythicæque nives, septemque Triones
Desudant: illa Pagasæus parte Canopus
Nymbisque pluviisque, & aquosis fulminat Austris.
Indomiti transversa fremunt, pulsique sonorem
Dant scopuli, & vastos volvunt ad littora fluctus.
Gradivus capit antè locum, gladiumque recludit,
Egregium Ignipotentis opus, quo compulit olim
In cædem immanes Lapithas, Phlegyasque bimembres.
Longa manu contrà lucenti hastilia ferro
Depromit, bigisque ferox insistit Aloêus.
Jamque propinquantes spatiis, magno acria motu
Bella cient, auresque cavas, & tempora circum
Verbera crebra rotant: hastile infensus Aloêus

Torquet, at in clypeum vires effundit inanes.
Mars gladio melior propiùs descendit, & ictus
Ictibus ingeminat, dumq; hostem ardentior urget,
Collisæ crepuêre rotæ, ulteriusq; coacti
Succumbunt oneri currus, rimisq; fatiscunt.
Ille rotis metuens, instantem haud prævidet ictum,
Oraq; trajectus, strictum de gutture ferrum
Exstat, & incanum trepidat sub cuspide mentum,
Auxiliumq; petens vocem molitur, at imis
Faucibus infixum mandit sub dentibus ensem.
Stabat adhuc, Sed dum attonitis clamore quadrigæ
Diripiuntur equis, curru resupinus inani
Excutitur, lacero tamen ut penderet ab axe,
Signaretq; suo vestigia trita cruore.
Victori circùm applaudit cælum omne, metumq;
Excludunt Superi. Mavors spolia ampla recenset,
Miraturq; ocreas læves, & pondera balteî,
Insignemq; auro galeam cristasq;, sed illis
Emeritos exornat equos, setisq; jubarum
Implicat insertas, ipsumq; hostilia circum
Agmina raptatum, suspendit Aloëa curru.
Horridus at turbas inter fremitumq; Ephialtes,
Ut vidit genitorem indigna morte peremtum:
Substitit attonitus primo, victusq; dolore
Vix lacrymis caruêre genæ, quas ira repressit.
Tum super assistens, fœdatos pulvere vultus
Tollit humo, talesq; effundit ad æthera questus,
Hac ego te, miserande parens, hac morte necatum
Raptari bigis, factisq; indigna ferentem
Aspicio? ânne tibi, sub tanta pericula misso,

Adferre

Adferre auxilium geminis data copia natis?
Sicne tuis jussis, terraq́; mariq́; sequuti?
Heu mater, desolatæ, heu, mea cura, sorores,
Heu frater germane. an sic tua cernere facta
Care senex dabitur? sic te præëunte magistro
Militiam & grave Martis opus tentabimus? omnis
Spes tecum occubuit: tantùm hæc solatia restant,
Quòd diversa cadant licet omnia, vita negetur,
Sit tamen ereptum pugna, dextráque redemtum
Qui te mandet humo patriæ, decorétque sepulcro.
Talibus ingeminat, patriúmque, juvante Telone,
Eripere accelerat, furtimque auferre cadaver.
Respicit exorto Mavors post terga tumultu,
Raptorésque videns, animo indignatus acerbo,
Quid tentatis, ait, quæ tanta audacia vobis
Surgit? non cineres, non sæva piabitis ossa:
Exsequiis bustum extremis, & honore carebit,
Cocytiq́; inhumatus aquas, regna invia vivis,
Centum hiemes circum, & totidem volitabit aristas,
Donec ad extremum variis erroribus actus,
Expleto tenebris numero reddatur & umbris.
Sic fatus, subitò in verbo vestigia torquet,
Ingentemq́; Telona neci demittit, & hasta
Urget Aloïden, sed nullum missa ferebat
Vulnus, & in cassum discussa in nubila fugit.
Tum demùm juvenis furias exardet in acres,
Non aliter quàm si Lybicis immanis in oris
Orba leæna furat catulis, factiq́; requirat
Auctorem, atque atros pandat, cæde oblita, rictus.
Accurritq́; fremens, verbisq́; minantibus infit.

Non ſat erat letho excepiſſe, ſceleſte parentem,
Quin coneris idem facinus? manet ultio factis
Certa tuis, modo me genitor miſerandus Aloëus
Magnanimum erudiit, genitrix cùm rapta, ſororq́;
Pancratis hac dextra victo fuit hoſte redemta.
Undè genus duco, vos æquora teſtor & umbras
Defunctas, quencunque etiam fortuna minaris
Eventum, patiar quidvis, modò dedecus armis
Ulciſci illatum, dignasq́; rependere pœnas
Detur, & hoſtiles patriis ſuperaddere manes.
Hoc animo fixum, aut eadem me fata manebunt,
Aut moriêre ſimul dabitur, quod cæde petiſti.
Talibus effatus, ſaxum divulſit, & ora
Impulit in male fida Dei: ſed nubila vulnus
Excepêre datum, & vacuas furit ictus in auras.
Saxa cupit ſumſiſſe alia, at dum nulla ſuperſunt,
Eripit ingentem ex adytis cratera, Cyclopum
Arte laboratum, puero quem amplectitur auro
Pampinus, atque omni diffuſi parte corymbi,
Gradivumq́; ſcypho petit, & genua ima reſolvit,
Non tamen ægra labant, quidquàm aut tardatus, in hoſtem
Fortior erigitur, motasq́; reſuſcitat iras
Atque iterùm correpta ſolo carcheſia facti
Vertit in auctorem: ille, elapſus corpore, cedit.
Incaſſumq́; poli per cærula rapta feruntur
Erigonen juxta ſquamisq́; ingentibus Hydram.
Juppiter at, facti ut ſupereſſet fama fidesq́;,
Donavit cœlo, & ſeptem micat ignibus aſtrum.
Felici exſultat ſucceſſu animosq́; Ephialtes,
Fortior atque haſta incumbens, petit alite telo

Nudatum

Nudatum obtectu clypei femur, intimaq; alto
Vulnere perrumpit labefactus ossa medullis.
Palluit attonitus Mavors, titubatq; labanti.
Assimilis, tremuloq; legit vestigia gressu
Et quantùm ense potest hosti instat, & omnia tentat.
Vidit at hoc frater, fessoq; supervenit Otus,
Otus Aloïdes, usquàm quo pulcrior alter
Non erat Anguipedum, Phlegræa nec induit arma.
Ille statim hostiles interritus excipit ictus,
Opponitq; humeros latos, durataq; terga,
Donec inaccessum priùs occupat, & simul ambo
Se velut amplexi, & pedibus per mutua nexis
Impediêre pedes: sicut Jovis alite raptus
Anguis atrox cauda spaciantes implicat alas.
Hic torvum videt, ille fremit, flammæq; cruentis
Scintillant oculis, & ni natura negaret
Quisque (nefas) vivos morsu depasceret artus:
Dumq; pares hinc inde effusis viribus urgent,
Procubuêre solo, vasto cum pondere, ut olim
Taygeti juga, Mænadibus bacchata Lacœnis,
In Lacedæmonios, mota tellure, ruebant.
Erexêre animos Ephialtes atque Calaurus,
Et properare necem strictis mucronibus ardent.
At Bellonæ atro effervescit sanguine bilis,
Exsurgitq; facem attollens, inq; ora Calauri
Conjicit, & flamma vultum crepitante cremavit.
Ille dolore amens, & lumine captus utroque,
Quò ruat, ignorat, cœloq; ejectus, in æquor
Turbatur, quà Nisa patris furata capillos
Facta refertur avis, devicto invisa parenti,

Ejus & Argolici retinet maris insula nomen.
Viribus intereà Gradivo prævalet Otus,
Sublatumq; humeris per mille sequentia tela
Eripit, antiquos Curetum elapsus ad oras,
Speluncamq; petit, vasto quæ cœca recessu,
Montis inaccessi præruptis undiquè saxis
Deprimitur tellurem infra, manesq; profundos.
Vidit ut hanc Mavors, animo crudele perosus
Supplicium, sævo quamvis superatus ab hoste,
Non tamen abstinuit, contraq; obnititur Oto,
Quantùm humeris pedibusq; valet, sicq; ora resolvit.
Me potiùs, me dede neci, quàm carcere clausum
Conficias: in me strictum convertito ferrum:
Hoc ego, fors votis si non diversa fuisset,
Nostraq; sacrilego rubuisset dextra cruore.
Atque, utinam, possem, mutata sorte, vel iras
Explerem, & nostrum horreres, scelerate, furorem.
Sed non ille minis, verbisq; movetur acerbis,
Pœna statuta placet, claustrisq;, juvante Milino,
Desuper immittit, nequidquàm sæva rudentem,
Spirantemq; iras: deîn centum immane catenis
Obvolvit saxum, ferro quod & ære paratum
Fulcibat gravido munitos objice postes.
Terrigenûm ruit actutùm vulgatus ad aures
Rumor, & erectos majoribus incitat ausis.
Obstat at Alcmena genitus, castrisq; paratum,
Ignarus quid agat tantis clamoribus hostis,
Prævenit auxilium: gravior sed nuntius aures
Vulnerat, exceptum insidiis & viribus Oti
Mavortem, vinclisq; coactum carcere claudi.

Ergò

Ergò omnes trepidant, mœstumq; in sidera luctum
Territa solvuntur: primùm circumspicit ipsum
Auctorem Alcides, quem dum non invenit usquàm,
Fratrem ad supplicium magno clamore reposcit:
Utq; sit exemplo reliquis, moriturus in hostem
Fertur, & ora viri clava propè diffidit: ictum
Cautus at Ascræus flexa cervice fefellit.
Tum verò furiis Tirynthius horret, & ira
Effervet, dextrumq; oculum, frontemq; superbam
Evertit: cadit ante pedes sine lumine lumen,
Perq; genas misto lacrymæ cum sanguine manant.
Subvenit Arcitenens, nervóque sonante sagittam
Dirigit: illa volans magno stridore per auras,
Caßidis adversæ in conum defertur, ibiq;
Frangitur: eluso sed Phœbus alacrior ictu,
Ecce, aliud jaculum adducto librabat ab arcu:
Dum trepidat: mox tela sinistri luminis orbem
Effodiunt, calidoq; hærent tepefacta cerebro.
Cynthia diversum Phœbo molitur, & arcu
Neglecto, in tergum venabula torquet, & uno
Vulnere trajectis haurit præcordia costis.
Volvitur Ascræus letho, multoq; cruentus
Sanguine, cum gemitu vitam exspiravit in auras.
Cœlicolæ Diviq; omnes clamore sequuntur
Sublato, pulcrósque artus, juveniliáque ora
Mirantur primis nondùm barbæ aspera signis.
Tum satus Amphytrione sibi galeam armáque victi
Vendicat, exuviis prædáque potitus opima:
Phœbus Amazoniam pharetram Scythicásque sagittas
Victoris pro laude petit: lorica Dianæ

Auro intertexta, & triplici discrimine cedit.
Et jam fama recens facti perfertur ad urbes
Bœotas, totamq; implet rumoribus Arnen,
Aëriamq; Eteönon, & Orchamenum Minyëum:
Quin etiam æquoream superans Anthedona, cædem
Aöniis memorat crudelem Phocidos arvis:
Interitum mœstæ lugent gnatiq; patrisq;
Pierides, amplexæ aras, quas marmore nuper
Mygdonio sacris primi statuêre dicatis.
Persepolim sed fata latent: ignara malorum
Ipsa Midia toro, cantu solata laborem,
Inserto raras densat subtegmine telas.
Parietibus circum: quot habet natura, colores
Dispositi, sunt flava croco, sunt fulva virenti
Tincta hyalo: referunt hæc grana rubentia cocci,
Illa rigent auro: sunt hîc candentia miris
Fila modis: illic villis nigrantibus atra.
Major at ingenio subit admiratio Nymphæ.
Tres opere in primo Musæ, præsentia vatum
Numina, quas Thamyras vocat ad certamina cantus
Thracius, Oechaliis primùm delatus ab oris.
Ira movet Divas, suffusaq; bile tumescunt
Ora, pudet victo certasse, & lumine captum
Demittunt: iter ille timet, cœcamq; videtur
Explorare viam prætento stipite: juxtà
Dorion appingit, turres attollit in altum,
Deprimit obscuras valles, quis ut ipse latere
Dixißet veras picta sub imagine formas.
His raptus Boreæ addit Erichthidos igne calentis
Threïciasq; hiemes, Neßumq;, Hebrumq; nivalem

Trudentes

Trudentes glaciem, & concretas frigore crustas.
Hæmus habet lævam, dextram Rhodopeïæ arces,
Quas nunquàm radiis Oriens, nec Vespere sero
Phœbus adire potest: animosi at flatibus Euri
Assiduè juga tunduntur, saltusq; profundi.
Virginibus ô rapta æqualibus Orithyja,
Rapta focis patriis miserè amplexuq; tuorum,
Te veniente die, te decedente requirunt
Matres atque viri, pueri, innuptæq; puellæ,
Totq; proci, toties quos dedignata maritos.
Non, veluti quondàm, studio gestire lavandi
Hîc cupies: ripaq; æstus viri dante levare,
Nympharum comitata choris: sed frigore torpent
Fluminaq;, fontesq;, geluq; innabilis unda.
Non hîc strata leges sua quæque sub arbore poma:
Non tereti carpes demessos pollice flores:
Non juvenile latus molli fultus hyacintho,
Aut dorso nemoris poteris jacuisse per herbam,
Solariq; cava raptum testudine amorem.
Ah frustrà frondes, frustrà circunspicis umbram,
Gramineumq; torum, jam circunfusa pruinis
Membra rigent, totis dum solibus aëre ningit,
Perpetuiq; crepant imbres: illa æmula flammis
Lumina sidereis horrent, pallescit & oris
Purpurei tàm suave rubens decus, haud secùs Indum
Sanguineis quis pingat ebur vel lilia moris,
Frustrà etiam Actæos, lacrymis suffusa, penates
Respicis, erectas tendens ad sidera palmas:
Dumq; times ablata solo casum, arctiùs ipsum
Raptorem complexa tenes, nec fortè remittat

Brachia conclamas: vanos levat ille timores,
Virgineosq; metus, simul oscula nunc data carpit,
Nunc per vim rapta extorquet, potiturq; negatis:
Nunc iterùm, victus veluti, blanditur, & aptè
Occurrit furiis, ut vivere fila putares.
Ultima restabant: cœpit toto æthere notos
Mavortis Venerisq; dolos, sed nomine Martis
Horruit infelix inceptáque fila remisit:
Bis conata fuit, luctus præsaga futuri
Bis cecidêre manus: nec curis abfuit omen,
Fama puellares nam protinùs impulit aures
Tristia fata ferens: stupuit, ceu saxea, virgo:
Stamina labuntur, radii, juga, pecten, & ore
Ingemit, heu miserum, verbisq; dolore retentis,
Dicere non potuit, genitorem: voxq; reliquit
Et color attonitam, gelidóque refecta liquore,
Sauciat ungue genas, tectisq; elapsa, vagatur
Urbe furens, nullosq; hominum tractabilis audit.
Qualis ubi incaluit nocturnis barbara sacris
Thyjas, & insolito poscit clangore Cythæron
Orgia, & Ogygio celebranda triennia Baccho,
Irrita funduntur solantia verba: medullas
Est dolor, & tristes vivunt sub pectore curæ.
Non oculis lacrymæ desunt, non luctibus humor:
Fine carent gemitus, gemitu atria longa resultant.
Imò etiam, nox cum terram intempesta teneret,
Visa per obscuras morientis imago tenebras,
Infelix simulacrum, atque ipsius umbra parentis,
Lurida, terribilis, multum mutata cruore,
Vulneraq; illa gerens, nuper quæ plurima cælo

Accepit:

Accepit: flens ipsa patrem retinere, manuq́;
Corripere effigiem conata, amplectitur auras.
Excutitur stratis, specie turbata, daturq́;
Materies nova curarum, superesse dolori
Amplius ut nequeat, mœstámque parentis in umbram,
Candida correpto figens præcordia ferro,
Sanguinolenta cadit: resonant plangoribus ædes:
Collapsam, sparsasq́; manus, vulnusq́; cruentum
Thespiades mœstæ aspiciunt, & pectora pugnis
Contundunt: sed nè sub inania Tartara mittant
Inde ploratam, cineri suprema ferebant
Virgineum ad tumulum, quem circum frondibus aras
Funereis statuunt mœstas, atraq́; cupresso,
Extremumq́; cient manes cum voce sepultos:
His calathos super injiciunt, muliebriaq́; arma,
Dantq́; loco nomen, quod nunc quoque mœnia servant.
Intereà Anguipedes, cæsis custodibus arcis,
Vi superant portas, & propugnacula ferro
Ardua rescindunt: hinc alto culmine turris,
Cûi datus hærebat custos Vulcanius heros,
Corruit, & subitis loca deformata ruinis.
Illinc bellum agitur telis perq́; æthera montes,
Saxorumq́; globus caligine volvitur atra.
Parte alia horrendus visu audituq́; Typhoêus
Ore Jovis flammas, strepitu haud imitabile fulmen
Exprimit, ut quondàm certamine nota curuli
Arva per, Alpheasq́; urbes tentaverat audax
Lampade Salmoneûs ignes imitatus Olympi.
Diffugiunt Superi exsangues, & tuta capessunt
Mœnia: Terrigenûm quos mox exercitus omnis

Subsequitur, pedibusq; pedum vestigia carpit.
Besbicus armatis medius Cœlestibus instat
Permistus, magnoq; Deos clamore lacessit:
Addunt se comites Celadon, Rhoecusq;, Thoönq;
Bellator: duro rapit ex adamante secures
Infrendens Adamastor, & arma, arma, inquit, in hostes
Promite, nè profugum vis inclinata resurgat.
Fundite, perdite, sternite, claustra revellite: nullus
Effugiet: nullus scelera hæc sine cæde piabit.
Talibus effatus, cœli super ardua passim
Dat stragem, & strictis mucronibus obvia tranat
Non aliter, quàm cùm stabulis illapsus apertis
Vimineásve super crates, aut juncea tecta
Fortè lupus: si pastor abest, somnoq; sepultæ
Excubiæ, furit, atque ipsis sub matribus agnos
Ubere direptos, lactantiaq; ora madentes
Unguibus exercet crudelibus: improba tenvis
Ora cruor lavat, & trepidant sub dentibus artus.
At Venus infelix ingentibus excita monstris,
Prorumpit, neglecta sinus, neglecta capillos
Hisq; pharetratum dictis affatur Amorem.
Gnate, quid hoc tanto cessamus cardine rerum,
Quóve loci fugimus, quam tuti prendimus arcem?
Excessêre omnes timidi, cœloq; relicto,
DI, quibus imperium hoc steterat, mundiq; potestas.
Juppiter ipse fuit, fuit altus Olympus, & ingens
Gloria Divorum, Divisq; potentior ipsis
Majestas Parcarum, & inexpugnabile fatum.
Hanc ego num potuissem unquàm metuisse ruinam,
Fortunamq; Deûm? vidi ipsa miserrima, vidi

Transfixum

Transfixum femur, & fœdatos sanguine vultus
Mavortis, quo non fuerat mihi carior alter,
Tristior alter erit nunquàm. Si sidera dextris
Defendi possent, illis defensa fuissent.
Nunc sine honore cadunt, lucem visura supremam,
Omnia cùm fatis retrò sublapsa ferantur.
Nos quoque nè sævo circumveniamur ab hoste,
Acceleremus iter: satis est vidisse labores,
Et patriæ tristes cineres, lacrymosáque fata.
Tu ceston, saturasq; auro, baccisq; rigentes
(Idaliam chlamydem, & picto velamen acantho,
Matre laboratum quondam multa arte Diöne)
Adfer gnate mihi vestes: currusq; rotasq;
Cura mihi incumbit, Paphiasq; parare volucres.
Dixerat: ad sonitum vocis circumspicit omne
In latus, & motu Typhon tremefecit Olympum.
Terrigenam illa videns, abitum molitur, & axes
Occupat effusos comitata Cupidine parvo.
Sensit, &, hem meretrix, infamis, adultera, clamat,
Siste gradum: nostros fugiens cur spernis amores?
Diva volans hominem nequidquàm vana moratur
Clamantem: rapitur cœli per cærula currus
Ocyor emissa AEoliis de montibus aura.
Stat frendens, iræq; impos micat ore Tiphoëus,
Præcipitesq; datum haud currus æquare sequendo
Mente dolet, statuítque alio transferre furorem.
Tum Cytherea Venus successu læta secundo,
Jam super Idæum nemus, & vada salsa Scamandri,
Phœbeum Simoënta videns, loca grata salutat:
Sed timor urget edax: mentem fatalia terrent

Monstra, nec Iliăcis audet confidere campis.
Stat casus renovare igitur, perq; ardua Tmoli
Sardibus incumbit, parvasq; invisit Hypæpas:
Indè suam dextra Cyprum, quà thure Sabæo
Centum illi spirant sertis redolentibus aræ,
Cum gemitu aspiciens: quandò mea tecta revisam.
Quandò aras, tripodes, lances, fulvosq; Lebetes?
Sic memorat, curruq; sedens dat lora secundo,
Perq; Palæstinam, Semeleïa regna, vetustas
Belidum sedes, & Achæmeniam Babylona
Fessa petit, ripasq; legens Euphratis, ad amnem
Territa descendit, penitusq; in valle reducta
Segnatumq; simul frondosis saltibus abdit.
Hìc arcum & pharetram auratam, volucresq; sagittas
Ponit Amor: juxtà tunicasq; sinusq; crepantes,
Illusasq; auro vestes, restantia flammis
Dona recognoscit, cœliq; erepta ruinis.
Illic læta Venus viridi se sternit in herba,
Cespite fulta caput, quam propter nuda voluptas
Delitiæq; errant, & amantûm nocte susurri,
Illecebræ, amplexus, dulciq; fluentia melle
Verba, joci, rixæ, suspiria, gaudia, curæ,
Tristitiæq; sales, pugnansq; libido pudori.
Secreti circùm calles, arbustaq; celant
Myrtea, & Assyrii frondescens messis amomi,
Populeæq; comæ denso sub tegmine obumbrant:
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis,
Assuetæq; rubis volucres, ripisq; volantes
AEthera permulcent grata dulcedine cantus.
Vix paulùm curæ emotæ, pulsusq; quiete

Tristi

Tristi corde dolor, cùm tempestatibus actum
Insonuit vento nemus, & vicina fragore
Virgulta increpuere, & inhorruit unda tenebris.
Obstupuêre ambo, & labefacta per ossa cucurrit
Terrificus metus, immanem post terga Typhoêa
Esserati. Secùs haud tenuis sine viribus umbra
Intempesta volans, cùm nox terræ incubat atra
Sopitos falsa ludit formidine sensus.
Et jam visa pedum pulsu tremere excita tellus,
Armatumq́ procul campo ingruere agmen aperto.
Extimuit magis: & magis artus occupat horror,
Unguibus ora Venus fœdans, tum vocibus hiscens
Exiguis, longo vix tandem tempore fatur.
Heu, quid nunc profugis superest, quid deniquè restat?
Heu gnate, in quo solo omnis stat cura parentis,
Quò ferimur? quam nunc aperit fortuna salutem?
Speramúsne fugam, an nos nostráq́ spargimus undis,
Præcipitesq́ damus, dum præcipitare potestas?
Ventum ad supremum est: turbato excludere cœlo,
Et terris agitare datum est: hoc defuit unum,
Ille Gigas nostra quò morte tropæa referret.
Sic agimus vitam æternam, sic nomine Divûm
Utimur, & nulla fatorum lege tenemur.
Sed moritura Orcum, Ditisq́ sacraria testor,
Belli non ego causa fui istius inscia culpæ
Nostri mens pueri: sola inclementia Vestæ
Tanti causa mali, sternitq́ à culmine cœlum.
At nunc cedo equidem, vitamq́ exosa relinquo:
Posse mori juvat, & pallentes ire sub umbras,
Sed decuit longè ante fugam, cùm indigna meórum

Funera conſpexi: tunc, cùm Martemq; Jovemq;
Vidimus abreptos, memet ſuper ipſa dediſſem.
Nunc inter deſerta ferarum, & inhoſpita regna,
Extorris cœlo, complexu avulſa mariti,
Fortè peregrinum tangam captiva cubile
Victoris, noſtroq; illudet, ut antè, pudori.
Vos ô, vos Genios, & fluminis invoco fontes,
Vos Nymphas, & ſi qua fides Euphrate ſub imo eſt,
Has audite preces, ſaltem vos parcite gentes,
Parcite pinnigeræ, & muti miſereſcite piſces,
Acceptiſq; ſinu auxilium DIs ferte duobus.
Dixerat, & caput obducto velavit amictu,
Involvitq; genas, unaq; Cupidine rapto,
Se mediis projecit aquis: mox (mira, ſed omni,
Fama fide major) piſces ſubière gemelli,
Atque oneri tergis ſe ſuppoſuère recurvis
Acceptosq; ſinu vaſto miſere ſub amnem.
Hinc piſces violare nefas, pulſoq; timore
Non eſcam non æra timent, ſecura ſed alto
Ocia agunt læti fluvio, luduntq; per undas.
Juppiter & Veneris parviq; Cupidinis illud
Indulgens votis, hac pro pietate receptos
Sideris in numerum, juſſit ſuccedere cælo.
Aſt Tellure ſati, Divis jam Marte priores,
Sedibus immiſſi Superûm, cœloq; potiti,
Omnia confundunt, vulſumque à cardine mundum
AEquoreis miſcere plagis Ditiq; profundo
Pro ſe quiſque parant: trepidant hominesq; Deiq;
Terrore inſolito, cœlum compage reſolvi,
Atque iterùm Phaëtonteos inſtare labores.

Audiit occasus, Tithonius audiit Eos,
Quanta per ætherios sævis effusa procella
Terrigenis iërit campos, quibus actus uterque
Hinc terræ indè poli fatis concurrerit orbis.
Cœlicolæ aggeribus, vallorumq; objice clausi
Prospectant inimicum altis de mœnibus hostem
Seq; timore cavis armati turribus abdunt.
Sicut apes, liquidos æther resolutus in imbres
Cùm ruit, aut gravior sylvis immurmurat Auster,
Inter se trepidæ coëunt, campisq; relictis,
Hospitio irrumpunt, seq; intra septa domorum
Proripiunt, mussantq; oras & limina circum.
Mox primam ante aciem, dum quà se immittere possit
Non videt, atque aditus frustrà Colophonius audax
Tentat, & incassum assultat, multa ore minatus
Tristia, in inclusos verbis insurgit acerbis.
Semideï imbellesq; viri, quid inertia corda
Defensi vallo, & septi circùm aggere, portas
Objicitis? pateant vada fossarum alta, foresq;,
Aut conferte manus, & aperto credite campo:
Aut nos (testis eris genitrix Berecynthia dictis.)
Turribus excussos planum effundemus in æquor.
Talia jactanti jam dudùm intentus Apollo,
Conjunctisq; ferè diducens cornibus arcum,
Hac cum voce latus calamo transverberat acto.
I nunc, sterne acies, & turribus excute Divos,
Semideï hæc responsa viri, scelerate, remittunt.
Egregia ille solo lapsus super intonat arma,
Et fugientem avidis singultibus aëra captans,
Occidit, & volucri fit vita simillima vento.

His spes arrectæ Cœlestûm, impulsaq; corda,
Néve iterùm ignavi trepident, animosq; remittant
Degeneres, agitant vario certamine pugnam,
Excursusq; breves tentant, & mœnibus hostem
Inuitant, pugnæq; cient simulacra frequentes.
Concitus immani sed Lentesmophius ira,
Vellere claustra parat, sociásque immittere turmas,
Limina quà vasta convulserat antè ruina.
Acrior at Marnas, structóque ex aggere Divi
Obsistunt, lacerúmque manus crudeliter ambas
Deturbant, magna muri cum parte revulsum.
Emicat Iënios fraterni funeris ultor,
Molitúrque aditum, atque effracto cardine, vulsas
E statione fores torquet, multisq; suorum
Mœnibus immissis, portis bipatentibus astat
Horret Evamerion, tanto incumbente tumultu,
Tela inimica videns, infusosq; arce potiri
Terrigenas, magnoq; Deos clamore fatigat,
Diversa in regione arcentes turribus hostem.
Nec mora, Tyndaridæ gemini, Cepheûsq;, generq;
Accelerant: pedibus piger Icarus applicat alas,
Magnus & adversos celerem furor urget in hostes
Non aliter, quàm si Arsacidæ, Parthiq; fugaces
Immineant Argis, Agamemnoniisque Mycenis,
Jamq; forum immisci teneant, portisq; recepti,
Accipiant socios, passímque incendia volvant,
Imperium coït Argivum, viresque Pelasgæ,
Inclusúmque hostem Inachio vix orbe revulsum,
Rursus agunt Euphratem ultra Nabathæáque regna.
Primus Amiclæus digna atque indigna minantem

Ibat in

Ibat in Iënion, portæq; è limine raptum
Fundit humi, impulso gemina inter tempora cæstu.
Illic Castor eques, densata per agmina vectus,
Egregium forma juvenem, pubentibus annis,
Pheston agit, jam jamq; inhiat, similisq; tenenti
Cernitur: at solers in gyrum flectere cursum,
Indeprênsus abit, dextramq; eludit avaram.
Hoc magis effusis desævit Castor habenis,
Dumq; ferox instat, strictis & anhela lupatis
Ora quatit, frustraq; fodit calcaribus armos.
Desilit in cælum, & sævum it pedes acer in hostem,
Cum clamore ruens magno, tandemq; coäctum
Vestibulo in clauso dubiarum errore viarum
Occupat, atque animam crudo simul eripit ense.
Armipotens jaculo premit Eumeroönta Boötes,
Egregium Eumeroönta, pater quem miserat Alpheûs
Telchiuum de stirpe satum divæq; Phenisses,
Nec potuit fugiens lethum evitare, nec hostem
Fallere: nam stridens trans ilia venit arundo,
Inq; solum multo spumantem sanguine fudit.
Tum geminos fratres, Idæo Panthore cretos,
Teuthrason & Neleum includit, primumq; trucidat
Teuthrason, atque imis adigit pulmonibus ensem.
Vix Neleum elapsum assequitur, dextraq; sagittam
Aure tenus jecit: trepidant in vertice cristæ
Commotæ, resonantq; cavis anfractibus arma.
His iterùm conversa manus per castra Gigantum
Terga dat: occlusis alii, facto agmine, portis
Erumpunt: alii specubus se turpiter abdunt:
Hos timor in præceps agit altis mœnibus: illis

Eripuit mors atra fugam, atque immobile fatum.
Intereà fuscis cœlum complectitur alis
Humida nox, serpuntque obscura crepuscula terris
Magna Deûm mater liquidum super æthera picto
Invehitur curru, bijugisque leonibus audet
Jam cœli secura subire licentiùs oras:
Luce sua cœcas incendia clara tenebras
Exsuperant, totoque furit Vulcanus Olympo.
Tum sic aggreditur gnatos, verbisque salutat.
Sic decet egregiis virtutem extendere factis,
Sic cœlum super ire, Jovisque retundere fastus:
Nunc peccata luat: quæ causa coëgit in arma
Terramque cœlúmque, & fœdera solvere furto,
Cur malè Titanas sua subjuga misit Adulter?
Me gravidam imperio tot cur exercuit iris.
Atque maritales res ausus vertere fundo?
Quid vetat ulcisci? positóne inglorія bello,
Externo aspicerem mea regna hærede teneri?
Non mea, sed Jovis est hæc tanti injuria belli:
Quidquid id est, motis meruisse fatebitur armis,
Cùm placuit, malè posthabita dextraque fideque,
Arripere imperium, & scelerato invadere ferro
Progeniem immeritam, & veros de stirpe nepotes
Titanis patris: elusam non justior ulla
Pœna fidem sequitur: nunc expiet arma, suoque
Sistat inexstinctas effuso sanguine flammas,
Nunc autem, noctis dum serior imminet hora,
In statione vices servate, & cingite muros
Obsidione viri, & pugnam sperate secundam.
Sic ait: & gestis benè rebus, cura Typhoëo

Credita

Credita militiæ, & rerum delata potestas.
Jamq; optata quies hominum pecudumq; labores
Solverat, alituúmq; genus sopor altus habebat.
Curis sola Deûm corda exercentur, & atræ
Terrorem ingeminant tenebræ, noctisq; per umbram
AEra Giganteis circumfulgentia castris.
Arcas erat portæ custos, acerrimus astu
Mercurius, vigilum excubiis præfectus, ad Austrum
Quà ducunt bivii, diverso tramite, calles
Phylliriden juxta, Nymphaq; Coronide cretum.
Phœbus erat socius, curis ingentibus æger,
Communiq; viam cœli statione tenebat.
Frater, ait, primùm tacito Cyllenius ore,
Quæ sit care vides rerum fortuna, quibusq;
Auspiciis cœlo immineant Telluris alumni,
Hos ego si potuissem unquàm sperare furores,
Possem etiam exortis mentem submittere curis.
Quàm vellem hac anima intercepti vita parentis
Posset emi, atque iterùm desertis reddier astris:
Haud dubiam oppeterem mortem, per tela per hostes
Captivum eruerem: nec deêssent pectora, talem
Titanum terrorem inter, cœliq; labores
Sublatum pater erudiît, virtute doloq;
Magnanimum Saturnum & fata extrema sequutus.
Percipe porrò, animo quæ nunc audacia surgat:
Undiquè nos circum fusos, at idonea furtis
Tempora cœca vides, & amica silentia Lunæ:
Subsidunt strepitus, obscurasq; arma per umbras
Rara micant: Certè captum me posse parentem
Asserere hoc cœlo sperarem, si modò necdùm

Arte Typhoëa crudelibus occubat umbris.
Fama sat est duri mihi cognita carceris: illum,
Si modò forsq; Deusq; juvent, reperire Cilissis
Posse reor terris, aut alti vertice Tauri.
Mercurii obstupuit dictis perculsus Apollo,
Immotosq; tenens oculos, affatur amicè
Germanum. Deus hunc ardorem mentibus addit,
O penitùs dilecte mihi, sequere omnia tanta
Quisquis ad illa vocat: felicibus utere cœptis:
Per te parta salus: in te cœlum omne recumbit:
Tu poteris, si fata velint, revocare parentem,
Et miseros tanta formidine solvere Divos.
Si visurus eum vivo, mihi si illius unquàm
Ore frui coràm dabitur, jam lucis & auræ
Ampliùs usuram haud cœlestis degener optem,
Tum me nulla dies, dum spiritus hos reget artus,
Immemorem arguerit: vos alta silentia noctis
Conscia dictorum, & præsentia sidera testor:
Per Styga polliceor, per quam pater antè solebat,
Si datur immanes superare, parente recepto,
Terrigenas, & partiri spolia ampla Gigantum,
Vidisti quibus Eurymedon exsultet in armis,
Purpureis lætus cristis, auroq; coruscus?
Ipsum illum thoraca tibi, conumq; rubentem
Insignis galeæ excipiam, tua munera, frater.
Insuper à genitore bonis donabere quantis?
Qualis eris? semper laudem tua facta merebunt,
Gloria semper erit, nullo delebilis ævo.
Dum genus æternum Saturni immobile cœlum
Incolet, imperiumq; pater Dictæus habebit.

Excipit

Excipit actutùm Caducifer ales, & infit
Protrahimus fando tempus: peragenda moramur:
Restat iter: locus insidiis trans ardua surgit,
Quà patet in bivio Cygnus: mihi dexter eunti
Pegasus ales erit, conjux Cepheûsq; sinistri:
Hinc ad Erichthonium brevis est via. cujus ab arce
Ad Cilicas, menti sic stat sententia, tendam,
Sed quis Phœbe mihi succedet? téne cruentis
Hostibus inclusum, & portæ statione relictum,
Desero, cûi semper comes indivulsus adhæsi,
A latere aut tergo tua pervestigia raptus?
Non tàm longus erit labor, haud victoria tantam
Nostra moram passura, adeo venti ocyor aura,
Antè pererratis quàm mundi quibus Eöos
Prima luce diem obsessis Cœlestibus ortam
Reddiderit: veris modò mentem Chaönis implet
Ales, & augurium nuper patris arbore captum.
Sic fatus, lateri Tegeæam accommodat harpen,
Assumtisq; alis tacitus discedit, & umbris
Tutus in obscuris, nocti se credidit atræ,
Vota metu duplicat Phœbus, tristusq; profusis
Ora rigat lacrymis, casum infelicis amici
Quem metuens: passim at curis belloq; soluti
Terrigenæ toto proflabant pectore somnum,
Laxabantq; animos. Volucer jam tuta tenebat,
Hostibus elapsus, tenebrisq; silentibus Arcas
Errabat. Primò Cydnum, limoq; fluentem
Pyramon, & terram ingenti Sarpedone rectam
Lustrat, Orontëas etiam digressus ad oras:
Indè Syros linquens, perplexum iter omne revolvit,

Perq́; Lycum Chlorumq́; means, portasq́; Cilißas,
Inquirit genitorem: altum clamaße volebat,
Quò pater audiret, sonitusq́; veniret ad aures.
Sed nè fortè dolum, advertat custodia, patrem
Prodere voce sua, & certæ se opponere morti
Abstinuit, Solymosq́; petens errore locorum,
Corycidas fortè in Nymphas, profugasq́; Sorores
Incidit: an casu dubium, an sic fata ferebant
Anguipedum, patuitq́; statim Deus editus una
Pleïadum: simul hæ referunt data damna suumq́;
Exsilium, solumq́; Jovem, custode remoto,
Coryciis miserè clausum à Typhone cavernis.
Vix Maja satus auditis sua gaudia celat,
Extemploq́; specum inquirit: nondùm antra marisq́;
Attigerat portum, magnis clamoribus actus,
Surge, agè, care pater, teq́; his, ait, eripe vinclis.
Juppiter attonitus visis, sibi somnia fingit.
Sed non somnus erat: nam coràm agnoscere vultus
Mercurii poterat, præsentiaq́; ora tueri.
Tandem pauca refert: ô exspectate parenti
Gnate venis, cœlo per aperta pericula vectus:
Indole quid tanta dignum, quæ laudibus istis
AEqua dabo? quid vis pete, non patière repulsam.
Per caput hoc juro, mortemq́; ensesq́; nefandos,
Quos fugio te dante, fidelis præmia facti
Digna feres: lacrymis sic ore loquutus obortis,
Oscula libavit, collumq́; amplexus, inhæsit.
Mercurius contrà. Cervici imponere nostræ
Care pater, succedam oneri, mediosq́; per hostes
Sedibus incolumen patriis, sceptrisq́; reducam,

Hæc fatus, ſublatum humeris mox excipit altis,
Et cœlum repetit, ſtrepitum haud facientibus alis.
Oceano intereà ſurgens Aurora, cubile
Liquit, & exorto ſpargebat lumine terras,
Extremum viſura diem, quo turba Cigantum
Imperio Jovis & devicto inſultet Olympo.
Mercurius, jam tuta tenens, evaſerat hoſtes,
Ardenteſq; inter clypeos, per opaca locorum
Avia dum ſequitur curſu, noctiſq; per umbram
Obſervata priùs veſtigia cœca retexit,
Porticibus ſubiît vacuis, ſolvitq; timorem.
Juppiter ut verò foribus ſeſe intulit altis,
Cæleſteſq; inter divino effulſit honore:
Clamorem ingentem palmis ad ſidera tollunt
Erectis, celeriq; immugit regia cœli
Lætitia, plauſuq; Deûm: præſentis ut ora,
Ora manuſq; ambas immani vulnere victas,
Trajectoſq; pedes lacrymis mirantur obortis.
Ante alios excita toro Saturnia Juno,
Flens graviter, dum res animos incognita turbat,
Obſtupuit ſimul ipſa, ſimul perculſus Apollo,
Accurrit, dextræq; ardet conjungere dextram.
Ales ut è paſtu rediens, multo imbre morata,
Cûi domus, & dulcis pubeſcit in arbore fœtus,
Excipitur, gnatiq; ſimul circùm oribus ora
Jungentes, data grana legunt, trepidantibus alis
Lætitia, magniſq; obſtat conatibus ætas.
Poſtquàm introgreſſum cuncti clamore petentes
Excepêre Dei: ſenſim ſe languidus ægrum
In femur attollit, cunctiſq; ſtupentibus, infit.

Cœlicolæ magni, coràm, ceu cernitis, adsum
Juppiter omnipotens, victore ereptus ab hoste.
O jucunda dies meritò, quàm semper acerbam
Semper honoratam (mala sic voluistis) habebo:
Qua vos, relliquias Briarêi sævíque Typhoêi,
Omnibus exhaustos jam casibus, omnibus armis
Jactatos, & nos extrema per omnia rapti
Cernimus: ô animæ egregiæ, quæ sanguine nobis
Defendère suo hoc cœlum: post multa meorum
Funera, post varios Divûm cœliq; labores,
Ut vos aspicimus læti: quæ digna rependam
Hac animi virtute, quibus vos laudibus ornem?
En nostri reditus: dabit hoc terroris abundè,
Præsentemq; feret præsentia nostra salutem.
Nunc similis fortuna premit, commune periclum
Nunc erit, & casus vos tandem amplector in omnes,
Nec sine mente reor, fati aut sine numine factum,
Pulsus in exsilium ut major mea regna viderem,
Victoresq; Deos. Nam nunc ni redditus astris,
Imperioq; forem cœli, nil certiùs, omnem
Quàm Libiamq; Asiamq; horrendo ad sidera bello
Venturam, & toto ausuros insurgere mundo.
Nunc meliùs sperandum erit: hæc suprema manebunt
Exitio positura modum discrimina nostro.
Numina nulla obstant: solis sunt fulmina Divis,
Atque immortales mortali urgemur ab hoste:
Et trepidamus adhuc? Exhausta pericula testor
Carceris, infernamq; Stygem. Si perdere gentem
Titanum immanem valui, perdentur & ipsi
Terrigenæ. sese licet in miracula rerum

Omnia

Omnia convertant, cœlúmque in Tartara solvant.
Tu tantùm per opem Rhea, vosq; tenacia fata,
Quæ Divûm genus æternum servatis & astra,
Nostros everso reditus succurrere seclo
Nè prohibete: satis jam pridem sanguine nostro
Imperio profugum luimus pulsúmque parentem.
Sic ait, & subitò concursu accedere magno
Alciden, Baccumq; videns, geminosq; Lacones,
Cœlestûmq; alios, quos in diversa Gigantum
Vis tulerat, penitusq; aliis distraxerat oris,
Vulnere fessus adhuc media testudine cœli
Se recipit, solióque animos speculatur ab alto.
Atque sub ingenti dum lustrat singula turba,
Mavortem opperiens, currus sine corpore amici
Agnoscit lacrymans, quem non virtutis egentem
Victor Aloïdes, jam multa cæde cruentus,
Exceptum, vasti concluserat objice montis.
Tum verò ingentem gemitum dat pectore abimo,
Dum quo cuncta loco, quæ sit fortuna, quibusq;
Pugnatum videt auspiciis, & plena laborum
Omnia. Fert aliquam contrà bona fama salutem,
Dissolvitque metum, gemina gnatumq; patrémque
Sublatos nece conspiciens, pœnasq; receptas.
Atque oculos cœli partes dum volvit in omnes,
Ocyùs Ignipotens, alto delapsus Olympo,
AEoliam devenit, & exesa ignibus antra
Cyclopum, cœptósque jubet removere labores
Acmoniden: rapit ipse ocreas, currúsque, rotasq;,
Quæ nuper gnati inductus precibúsque Minervæ,
Fuderat electro, & liquido secreverat auro.

Ipsi etiam Brontésque Harpésque argentea linquunt
Vasa, cavásque dapum lances, fulvósque lebetes,
Craterásque Phrygis pueri jam parte politos.
Majus opus Deus instituit, cunctísque laborem
Sortitur, toto expediant ut fulmina cœlo
Materiam ferrugineus priùs arte Pyragmon
Præparat informem: hûic miscet pater ipse pavores,
Terrificosq; metus, ad quos humana tremiscant
Corda, Deûm pacem exposcant, arasq; frequentent.
Pars operi incumbunt, multo sudore fluentes,
Exercentq; rudem, magnoq; tenacibus igne
Forcipibus versant massam: pars arida flammis
Nutrimenta ferunt: hîc auras follibus Arges
Egerit, ut latè fornacibus æstus anhelet
Dissiliunt scintillæ, atque atras lumine sedes
Percurrunt: Steropes illic candentia tingit
Fulmina, ne correpta domus subsidat in ignes.
Fervet opus studiis, tonitruq; operosa fatigant
Brachia, & in numerum resonant incudibus ictus.

Nuntius intereà ingenti per castra tumultu
Terrigenûm ruit, atque animos terroribus implet.
Instructos acie Superos, ipsumq; reversum
Arma parare Jovem, quem omnes cum stirpe putabant
Procubuisse sua jam pridem, atque æthere cassum.
Deficiunt subitò, magnúsque per ora timentûm
Mœsta tremor currit, manifesto numine ferri
Res Divûm, sua sed retrò sublapsa videntes
Robora, quos priùs in solido fortuna locârat.
Rarus qui sumtis ultrà spem ponat in armis,
Aut pugnam paret aut speret, quos ante, triumphos.

Multi

Multi qui visas vellent multo ære redemtum
AEtherias nunquàm sedes, versantq; futura
Supplicia, & tumuli occurrunt ante ora recentes:
Jamq; putant post terga Jovem fulmenq; minari,
Tantus agit mentes terror, confusaq; toto,
Dißensu vario, crebrescunt murmura cœlo.
Non secùs Eridani ripis, pratisq; Caystri,
Dant sonitum rauci, complentes littora, cygni:
Strymoniæve grues, cœlo cùm gentis adultos
Educunt fœtus, aut atram vallibus imis
Surgentem aspiciunt, pluvia impendente, procellam,
Effugiunt, magnisq; secant clangoribus auras.
At quibus arrectæ, stimulis non mollibus, iræ,
Sunt quoque quorum animis eadem haud sententia surgat.
Militiæ proceres primi, belliq; magister
Eurymedon: omnes veluti virtute parati
Stare Deos contra, & certæ se opponere morti,
Sic etiam fremitu ingenti, magnoq; dolore
Mercurii scelus indignantur, & unius arte,
Unius ob fraudem belli turbata repentè
Consilia, atque incœpta ducum: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: tot lumina frustrà
Magnorum cecidiße virûm, pubemq; timore
Defeciße omnem. In primis altum ore Typhoëus
Infrendet, tutaq; Jovem statione receptum
Aspiciens. Sceleris fabricator sanguine pœnas
Persolvat patris, inquit, & arrepto ense, nepotem
Ibat in Atlantis: Socii quoque tela ferentes
Accelerant, atque arma, quibus cœlum omne petebant
Arcadis unius in miseri conversa tulerunt

Exitium: timuit monstris exterritus Hermes,
Moliturq́ue fugam, nec se celare latebris
Amplius, aut hostem potuit perferre ruentem.
Fit volucer: tandem quoque vera volucris, abitq́ue
Ibidis in faciem, pennisq́ue nigrantibus alas
Spargit, & ad fusum septena per ostia Nilum
Avolat: hîc odii manet insanabile vulnus,
Deprensosq́ue ore exercet crudeliter angues,
Progenitos sanie, fusoq́ue cruore Gigantum.
Sævit atrox Typhon, nec qua ratione nocere
Possit, & extractos in planum effundere Divos,
Invenit, atque iterùm sese in sua castra recepit.
Ceu lupus insidias explorat ovilia circum,
Cùm gregibus nocturnus obambulat, excitus antè
E sylvis pecudum balatibus: acrior illum
Cura domat, crescitq́ue fames jejuna, quòd audit
Matris ab uberibus, tutisq́ue cubilibus agnos
Ludere, se elusum stabulis excludier altis.
Juppiter intùs adhuc, hostiliq́ue aggere septus,
Ingratas trahit arte moras, num posset iniquam
Elicere ad pugnam, atque in apertum educere vallum
Terrigenas, nulloq́ue potiri sanguine victis.
Arma sed apta operi desunt, quibus hostis ahenas
Arjetet in portas, & fundamenta domorum
Funditùs exstirpet: fastigia vellere tecti
Falcibus ignotum, atque acta testudine muros
Quassare, erectasq́ue in mœnia tollere scalas.
Ergò moræ impatiens, nè quem fortuna retardet
Tristior eventum, & post ad pejora reservet,
Pauca refert. Satis haud Superi, quod distinet hostem
Per se

Per se tuta domus, nisi inundet sanguine cœlum.
Quos petimus, densi circumstant undiquè portas
Nosq; vocant: cur indecores in limine primo
Stamus, ut exsultans pavidi vos-meq; timoris
Arguat Eurymedon, & vanis territet armis?
Ante pedes interq; manus sunt omnia nostras:
Ibimus: hæc pleno superest lux una triumpho:
Nos victoria certa vocat, labor ultimus illos.
Sic ait, & dextra fulmen lævaq; prehensum
Terrificus rotat, & circùm immortalibus armis
Cingitur, atque hortatur idem. Dicto ocyùs omnes
DIq; Deæq; adsunt. ipsi, quibus aspera quondàm
Visa poli facies, & non tolerabile bellum,
Ire volunt, Martisq; omnem perferre laborem.
Tum circa Regem atque ipsa ad prætoria densi
Miscentur, gladiis succincti insignibus omnes,
Ingentesq; acuunt animos clamore secundo.
Juppiter ipse præit, quem DI latera omnia clausum
Juxta convenère, fluuntq; ad regia plenis
Castra viis, fidensq; obvertunt pectus in hostem.
Ac veluti Europæ ad fines Tanaïmq; nivalem,
Cùm Scythicis bellum hostis atrox meditatur in oris,
Fœmineus rapit arma furor, contraq; ruentem
In patriamq; domosq; hostem it, quas inter Amazon
Regia, peltatis præstans virtute puellis,
Eminet, atque virum muliebri in pectore versat.
Eurymedon contrà propiùs jam urgente caterva,
Adversus campo venit, & medio agmine ductor
Arma parare jubet cunctos: tum vellere signa
Enceladum vallo, turmasq; educere castris

Imperat, atque mora segnes procul ære canoro
Increpitat, cantuq; animos accendit in hostem.
Sed frustrà, subitoq; metu in contraria pubes
Consternata Jovem fugit, exortoq; tumultu,
Dirum execratur bellum cum gente Deorum,
Heroïsq; viris, quorum res semper acerbæ
In melius recidant, damnisq; audacia crescat.
Tunc etiam spem nullam armis, belloq; salutem
Prospiciunt, mallentq; coïre in fœdera dextras,
Atque insigne manu prætendi pacis olivam.
Hocq; volunt, unoq; omnes eadem ore requirunt.
Acrior exarsit moti violentia Regis,
Atque acies inter, medio flagrante tumultu,
Ut motus animorum, & tanta incendia sistat,
Increpat hærentes. Ubi nunc ingentia bello
Facta viri, dextræq;, quibus sub Tartara missi
Mille Deûm? acquisita ubi nostræ gloria genti?
Vicimus, & sola formidine vincimur, orto
Ante tubam per corda metu? an tendemus inermes
(Pro pudor atque nefas) dextras? an pace sequestra
Velati ramis oleæ, veniamq; rogantes,
Suppliciter culpam erroremq; agnoscimus? Atqui
Spem veniæ nullam Jovis inclementia spondet.
Sit durum patris exilium, sit ab æthere pulsus
Filius Ignipotens testis, vaccæq; Pheræ,
Tum soror & conjux læso suspensa marito,
Hæc illos, quæ nos hostes fortuna sequetur?
At si quodcunque hoc regni, si sceptra Jovemq;
Concilient, populosq; simul, paribusq; regamus
Auspiciis orbem immensum: Si deniquè gentem

Esse

Esse velit Superos unam Terraq; creatos,
Consortésque operum, sociiq; in regna vocemur:
Quem penes omnis erit sed Divûm hominumq; potestas,
Quis mundi imperium, & primos sibi poscit honores?
Non alio restant terræ sub Sole jacentes:
Non aliud superest, quàm, quod tegit omnia, cœlum,
Hoc armis petimus, dabiturq; petentibus armis.
Anne semel victus, centum constrictus ahenis
Post tergum nodis, antroq; repostus opaco,
Dedidicit vinci in Venerem nocturnaq; bella
Aptior, ante viros segnis Deus? ânne redibit
Fortior ad pugnam, prius eruta dente sequentûm
Cerva canum? semel Assyrio fucata veneno
Vellera, quæ foliis depectunt candida Seres,
Natiuam assument faciem, amissosq; colores?
Vera semel virtus Jovis excidit, illa reponi
Non poterit: tantùm simulatis provocat armis.
Dixerat, & subitò erecti per castra, Gigantes
Assensère omnes sceleri, quantumq; timebant,
Tantùm ardent Superûm adventu: fremit æquore toto
Vis equitum, peditumq; furor, clangorq; tubarum,
Conceptaq; nihil pro spe tentare recusant.
Vos autem, major dum belli nascitur ordo,
Pïerides trepidum regite, & date carmina Musæ:
Vos acies Superûm, cunctosq; sub arma coactos
Dicite Terrigenas, & quos obscura recondit
Fama viros: nihil hîc vestro sine numine apertum.
Jamq; propinquabant hinc indè, aciemq; movebant,
Cùm Bacchus procul antevolans, hastamq; reducta
Protendens dextra, speculatus in agmine longè

Antiphylum gradientem altè, atque indigna minantem
Aggreditur, contraq; paranti tela, sinistrum
Per latus exegit, mediamq; recondidit hastam.
Ad terram cadit ille gemens, & frigidus horror
Occupat os, somnusq; oculos supremus oberrat.
At Rhoeci, videt ut lapsantem in sanguine fratrem,
Germanæ subiit mentem pietatis imago,
Accurritq; fremens, terra simul elevat ipsum
Singultantem, & adhuc auras cœli ore legentem.
Tum factum increpitat verbis, & crimen acerbat.
Vane Deus, frustraq; animis elate superbis,
Quid terrere paras nos uno funere, multi
Cùm superent virtute pares, pars maxima quorum
Rhœcus ego, haud ulli Divorum Marte secundus?
Hæcne necis nunc tela vides ultricia? magno,
Magno equidem tibi constaret laus illa, statimq;
Sontem animam tormenta quidem, mortesq; per omnes
Eruerem: nullam sed habet victoria laudem,
Imbuere invictam hanc imbelli sanguine dextram,
Atque hoc turpe referre caput, muliebriaq; arma,
Semivir, i, quò insana vocat te turba, novasq;
Indixêre dapes, & plenæ pocula mensæ:
I, rege lymphatas mentes: tibi sumere thyrsos,
Et lustrare choros sit cura sacrisq; vacare,
Arma viri bellumq; gerant: tua castra corymbos
Et foliis lentas intexant mollibus hastas.
Quid cessas? an Titanum meminisse juvabit?
Hic & erunt, vivosq; in frusta secabimus artus,
Fixaq; versatis torrebimus exta verutis.
His dictis dolor exarsit, circumq; cruentam

Bacchus

Bacchus agens oculorum aciem, sic intonat ore.
En, tu bella geres, mihi molles sumere thyrsos,
Et lustrare choros sit cura, sacrisq; vacare?
Respice adhæc: adsum tibi bella necemq; daturus.
Sic effatus, in horrendam, mirabile visu,
Se faciem transformat, & humana exuit ora:
Fit fera, Getulique extemplò immane leonis
Induitur tergum, villis atque unguibus atris
Terrificum, funditq; jubas cervice comantes.
Rhœcus ad aspectum obstupuit, vicináque magno
Fracta caterua metu retrò dare terga parabat:
Vellet idem tentasse Gigas, sed ab agmine rapto
Insiliit Deus, & collum complexus inhæsit,
Unguibus hinc illinc nutantem agitansq; trahensq;.
Segnior haud Rhœcus, magna virtute repugnans,
Sustinet à jugulo morsus, unguesq; revellit
Vulneribus fixos altè, & vim viribus exit.
Sed frustrà, dum se hic evolvit, atrociùs illic
Dentibus arripitur, duplicataq; damna resultant.
Non aliter cymbam immanis rotat æquore turbo
Syrtibus hærentem, vastiq; crepidine saxi:
Nunc tanquàm subrepta malis, cum gurgite pontus
Procurrens ruit ad terras, attollitur æstu:
Nunc iterùm revoluta, vado, labentibus undis,
Tunditur exhausto, & scopulis affligitur atris.
Non tulit inflammata moras violentia Bacchi,
Excutiensq; toros, villísque horrentia colla,
Rugit hians torvum, spirantiáque oribus ora
Obstruxit rictu diducto, & cordis anheli
Interclusit iter, vitalique obstitit haustu,

Obsessásque diu fauces non antè remisit,
Quàm prostratus humi exanimis, cervice reflexa,
Explicuit se quantus erat, bis dena per agri
Jugera porrectus: tunc impiger, hoste peremto,
Gaudet ovans Deus, atque infixis dentibus hæret
Visceribus super accumbens: fluit ore cruenta
Illuvies, albéntque asperso labra cerebro.
Excipiunt plausu Superi, gnatíque triumpho
Juppiter exsultat, geminatáque, Euhye, voce,
Euhye, lætitia ingenti conclamat: at illo
Gaudet adhuc victor cognomine Bacchus, & omnes
Transtulit ad populos morem, ut sua festa quotannis
Cùm repetunt, veteresq; ineunt proscenia ludi,
Humanas ponant formas, stimulante furore,
Oraq; corticibus sumant horrenda cavatis.
Sævus at Eurymedon furiis, fervente suorum
Strage, ruit medias inter, magno impete, cædes,
Quid portenta velint immissaq; monstra Deorum
Subdubitans, cœptusq; animis nè longiùs horror
Procedat, subitò sese in sua colligit arma,
Fraxineamq; hastam quassans, ferroq; crepantem
Loricam, totus squamis ardebat ahenis,
Magnum animo volvens, ut Divûm in castra tumultu
Irruat exorto, & simili terrore repressum
Terrigenis Bacchum revocet, quem nulla Typhoêi,
Nulla Cygis Briarêiq; manu conjecta movebant
Tela, nec electi proceres de gente Gigantum.
Hunc procul aspiciens Silenos inter Iäon
Nobilitate potens, generisq; insigne superbum
Tertius à Jove denumerans, se fortiter aptat

Regis

Regis in adventum, captusq; cupidine palmæ,
Occursare viro juvenili exarsit amore.
Demens qui tantos animo conceperat ausus,
Ut sibi deberi fato Eurymedonta putaret
Regnatorem, & tot populis terrisq; superbum.
Ille parat pugnam, & validis dum cingitur armis,
Tempora nudus adhuc, nè quid sua fata moretur,
Prosilit, & victum jam spe sibi præcipit hostem.
Infelix nimiùm, atque impar congressus: apertam
Nam galeæ obtectu frontem rimatus, inerme
In caput Eurymedon hastili vulnus adegit,
Altum equidem, pedibusq; statim super ora jacentis
Cum fremitu stetit, atque inimico pectore fatur.
Nunc quod habes cœlum, ore premas, ignave, tuiq;
Assimilis: sunt hæc audacis præmia facti.
Atque, utinam, Rex ipse furore oblatus eodem
Adforet, aut saltem lethi spectator adessem,
Hanc si adversa mihi laudem fortuna negavit.
Dixerat, actutumq; retrò vestigia vertens,
Plurima Parrhasidûm morientia corpora victor
Sternit humi, magnumq; Phalantem, doctior alter
Arcadas inter erat quo nemo volubile buxum
Radere, & in miras traducere robora formas:
Fagina cælato vel vasa polire labore,
Et facili lentas torno superaddere vites.



BELLI

GIGANTEI

LIBER QVARTUS.



IAmq; acies inter varius se tollit ad auras
Dissensu strepitus, cœlumq; tumultibus implet:
Diversi diversa fremunt, omnesq; Cigantes,
Omnes Cœlicolæ, Bessas, acerq; Tuiston,
Occisorq; virûm Alcides, & Phœbus Apollo,
Sidoniusq; Dagon, Silenûmq; Arcades alæ.
Pro se quisque legit, quem luce carentibus umbris
Inferias mactet, pallentiq; immolet Orco.
Ceu duo, vere novo emissi præsepibus altis,
Cornibus inter se obnixi certamina tauri
Dura movent, animisq; acuunt discordibus iras
Ingentes, certi non cedere, donec utrinque
Spiritus intus agat, minimæq; in corpore vires.
Terrigenûm prior à tergo manus imminet ingens,
Arripiuntq; locum, quo non erat aptior alter,
Sive jugis cupias, seu plano occurrere pugnæ.
Impiger hoc cernens arcum intendebat Apollo
Ocyùs, & ducto torquens stridentia nervo
Tela Menephiari per tempus adegit utrumque,
Turbavitq; globum, & conantes plurima frustrà
Reppulit Anguipedes. Non hoc tulit acer Orius,
Atque agitat, quónam ingenio, quibus audeat armis
Dedecus hoc pensare, simulq; hastile lacerto

Dirigit

Dirigit adducto. Phœbo, nil tale timenti,
Intentare parans fatum crudele: sed Aji
Se monitu letho eripuit, scelerisq; prehensum
Auctorem aggreditur ferro, multisq; cruentum
Vulneribus jacit ante pedes, animamq; resolvit.
Fellenus socium tantis se adjungere rebus
Ante alios parat, & spaciis propioribus urget
Elapsum Ormilium, fugientemq; impedit hasta,
Et ternos clypei ferro transverberat orbes.
Ille cadit, sanguisq; pedes descendit ad imos.
Haud etiam optati metam pervenit ad ævi
Lasius, innumeros sibi qui promiserat annos,
Herculeaq; manu lethum oppetit: acer Abeltes
Quem prope, nè socia fraudetur morte, supinus
Occubat, atque animam calido cum sanguine fundit.
Hoc viso, indomiti convertunt robur in unum
Terrigenæ, magnoq; ruunt in bella furore
Gegenetes, Runeusq;, hic longis promtior hastis,
Ille pedum melior cursu, levibusq; sagittis.
Ponè sequens illos, annis jam tardior, Ismus,
Increpitans clamat. Vos ô, quibus integer ævi
Sanguis inest, properate viri, me serior ætas
Tarda gelu, cohibentq; effœtæ in corpore vires:
Nunc si animo vigor ille foret, roburq; lacertis
Quale fuit, cùm terribilem Calydona sub ipsis
Mœnibus, & germanum Evenum ad Tartara misi,
Ipsumq; auxilio subeuntem Thestion, omnes
Marte satos, fronte haud equidem divellerer usquàm:
Ipse acies inter primas, stragemq; virorum
Hoc caput objicerem, nec me plus laudis haberet

Terrigenûm ex numero quisquam, non ipse Typhoëus.
Talia vix spirans memorat, studioq; senili
Accurrit, comitem tardus sese addit Eresthus.
At juxtà per aperta volans, ceu provocet auras,
AEquora, vix summa vestigia signat arena,
Cursibus insignis Tachys, & satus Ilade pulcra
Pulcer Alectorius, virgatis cûi procul arma
Lævia tralucent sagulis: ceu noctis in umbra,
Undiquè cùm totum cinxerunt æthera nymbi,
Luna tamen raris sua nubibus exserit ora.
Jamq; instant ferro ancipiti, gladiisq; reclusis
Decernunt, circumq; Alcidæ immanibus armos
Verberibus quatiunt: Ast ille stat, arboris instar,
Undiquè quæ vento pulsatur, & imbribus atris,
Perq; minas cœli, tempestatumq; ruinas
Altior assurgens, Jovis acres despicit iras.
Nec procul auxilium castris effundit apertis
Amphitryoniadæ Taranis, si forsitan unus
Obniti nequeat contrà, & se evolvere victor.
In primis nymbo effulgens & Gorgone sæva,
Bellatrix Diva incumbit, viq; ægidis album
Mutat Alectorium in marmor, direptaq; sumit
Arma sibi, argento perfecta, atque aspera signis.
Viderat hoc, eademq; rotis invectus Echion
Monstra timens, compellat equos, jam certus eundi:
Sed non fata sinunt, capitiq; hic terminus hæret.
Nam subitò riguêre oculi, concretaq; adhæsit
Prodigiosa silex currû, frenisq; remissis,
Fertur equis gelidum, domini pro corpore, saxum.
Quisque, prout subit armatus, discrimen apertum

Incurrit,

Incurrit, subitusq; omnes lapis occupat artus.
Tandem ubi jam nullo ingenio se evadere pugna
Posse, neque instantem cernunt avertere Divam,
Immanem, eccè, manu pluviis in saltibus hydrum,
Servantem ripas, ranisq; loquacibus atram
Ingluviem explentem, rapiunt, quaq; instat, & urget,
Saxificam objiciens venientibus ægida, Divæ
Ante pedes jaciunt, prohibentq; accedere monstro.
Ille notis longam maculosis explicat alvum,
Arrectisq; horret squamis, inimicaq; torquet
Lumina in adversam, & linguis micat ore trisulcis.
Ira movet mentem, & torvo Dea bellica vultu
Torquet agens hastam, dicitq; potentia verba,
Verba, quibus raptum sistat vestigia cœlum,
Flamma gelu rigeat concreta: humentibus undis
Sicca fluant: visu mirum, maria alta tumescant,
Et mutata suos suspendant flumina cursus:
Frigidus in pratis coluber quibus occulit aures,
Atque fuga pavidum terra caput abdit, & altè
Defossus specubus magico timet ore susurros.
Tunc demùm spirantem, & sibila colla tumentem
Bis medium amplexa, ut nequeat dispergere virus,
Terq; quaterq; solo allidit: frustrà ille reluctans.
Grandia distorquet linguis vibrantibus ora,
Frustrà sublato convolvit pectore terga,
Arduus in spiras, sinuatq; volumine caudam.
Vidit ut exhaustum, & suspiria longa trahentem,
Stridore ingenti liquidum super æthera jecit,
Affixitq; polo: hîc subitò, si credere dignum est,
Corporis obscenæ squamæ vertuntur in ignes

Ter denos, flexuq; obliquo labitur Arctos
Circum perq; duas, specie remanente Draconis.
Intereà Tachys, & vix morti elapsus Eresthus,
More lupi effugiunt, qui facta cæde, repostis
Egreditur latebris, depasta cubilia linquens.
Ipse etiam sævas elludit Palladis iras
Grajus homo Gration, patria qui missus Eleusi.
Vomeris argentêi dentem, trahëasq; sequaces
Matris Eleusinæ clypeo gestabat aheno:
Triticeamq; comis, patriarum insigne jubarum,
Addiderat segetem, flavasq; in vertice aristas.
Insanus, qui vix victore ereptus ab hoste:
Non tamen abstinuit furiis: nam mente recepta
Nulla reformidat sævi discrimina Martis:
Depositaq; procul pharetra speculatus inermem
Dictynnam, occisis erepta Cigantibus arma
Servantem, & vacuo congestam in fornice prædam,
Accedit propiùs furtim, limenq; sub ipsum
Improvisus adest, & forti missile dextra
Torquet agens: illud dubiis committitur auris,
Gramineoq; hæret, sine vulnere, cespite fixum.
Exardet Dea facto, & raptis tela pharetris
Depromit, validisq; incurvans viribus arcum,
Subductum leviter trajecit arundine mentum.
Hoc Gration ictu furit arduus, altaq; jactat,
Vulneris impatiens, arrecto brachia telo,
Conaturus idem: sed non contingere fatis
Posse datum stricto cœlestia corpora ferro.
Dumq; dolore amens instat, cervice prehensa,
In mare præcipitem cœlo deturbat ab alto,
Threïcias

Threïcias juxta fauces, ubi cornibus Iö
Sublatis, primùm implevit mugitibus agros,
Informesq; bovis vultus in littore vidit,
Obsita jam setis, collóque timebat aratrum.
Hic etiam multos Euxina per æquora soles
Circumagit profugum, nunc quà dignata superbo
Conjugio Phœbi genitrix pulcerrima Syri:
Nunc quà Colchis habet priscæ vestigia laudis,
Cùm tentare Thetin ratibus, Tiphysq; magister
Ausus ad ignotas aurati velleris oras
Delectos vehere Heroäs, pubemq; Pelasgam.
Errorum vix finis adest, nec jam ampliùs usquàm
Apparet tellus: tantùm, diversa frementes,
Unà Eurusq; Notusq; ruunt, & littora plangunt:
Tum procul à tergo rutilo cum fulmine nymbus
Insequitur, canisq; albescunt æquora spumis.
Quò magis at surgunt, hoc undis altior exstans
Infelix Cration Neptunum faucibus arcet
Non misero, prohibente Dea, semperq; sequente,
Ulla quies, totumq; tremor pertentat, ut ambas
Inter se obnixas vidit Symplegadas, atro
Sæpiùs ardentes, collisis cautibus, igne.
Quid faceret, dubitat: viridis subit ostia Peuces,
Riparumq; toris molli consedit in herba:
Ilicet hostis adest, braccataq; turba Getarum,
Sauromatæq; truces: iterùm formidine turpi.
AEquora tuta petit cursu. Sed fidere Divis
Offensis nihil est: dum quò sit, nescit, eundum,
Ignarus maris & Taurorum, in littus avarum
Incidit, & fato crudelibus occidit aris.

Terra procul medio se pandit inhospita Ponto,
Cymmeriis vicina umbris, vbi lurida Morpheî
Regia, & obtenta densantur nocte tenebræ:
Hinc rabies Euxini, atque illætabilis ora,
Illinc stricta gelu hibernæ Mæötidos unda
AEstuat, angustóque palus excluditur Isthmo.
Huc se provectus deserto in littore condit,
Donec prima rubens stellas Aurora fugaret.
Mane novo festis aderat lux sacra calendis,
Cùm Scythiæ prima de nobilitate sacerdos,
Omnis quàm circum denso chorus ordine fusus,
Procedit, festumq; parat de more diei.
Stat vittata comas vates, sparsoq; liquore,
Tergeminam tonat ore Deam, carchesia libans
Intemerata focis: nondùm flagrantibus aris
Ad sacra quæsitam cervam jugulaverat, haudum
Tincta cruore manus: Subitò cùm visa moveri
Diva fuit (factum haud priùs) atque aversa tueri,
Sanguineam volvens aciem, ter tela pharetris
Insonuêre, hastamq; solo concussit, & imis
Exaudita adytis vox horrida fertur ad aures.
Qui novus hic nostris successit sedibus hospes,
Has iras animúmque offensum morte piabit:
Sanguine quærendus favor est, Grajique cruore.
Talibus ex adytis vox mira immugit, & aræ,
Liminaq; templúmque Deæ clamore resultant.
Ilicet auguriis trepidi cœlestibus omnes
Vestigant sylvas, terrámque indagine cingunt.
Hospitio pro polluto, pro numinis ira.
Dumq; ruunt, ecce, ultrò se quærentibus offert,

Nescius

Nescius exitium sibi certum, & sacra parari.
Turba statim gavisa omnis, tunduntque trahuntque,
Conantemque loqui & pavitantem altaria juxta
Deducunt Triviæ, manibus post terga revinctum.
Ille, metum spemque inter, agit discrimine vitam,
Eventumque timet: tacitas immurmurat ore
Virgo recincta preces, & templum thure vaporat,
Desertasque dapes, iterumque instaurat honores
Antè focis raptos, subito turbante tumultu.
Tandem Hecaten, signumque basi cœleste locatum
Suppliciter venerans, tria virginis ora Dianæ
Suspicit, erecta ad cœlum, & tria carmina dicit,
Carmine sacrilegum quo offensis devovet aris.
Hoc ritu de more loci festique peracto,
Ante fores raptum geminas Grationa trucidant,
Irataeque litant quæsita piacula Divæ.
Erecta caput avulsum crudeliter orno
Præfigunt, truncumque alta de rupe volutant:
Quæque priùs niveo de marmore fulserat, atra
Decolor ara rubet sanie, affusoque cruore.
An Phœbe annuerit populus dubitabat: at illa
Annuerat, Scythiæque omnes tremefecerat urbes,
Templaque motarat saxo constructa vetusto.
Ex illo hæc seri sacra servavere minores,
Atque Thoanteæ truculentior ora Dianæ
Aßidua de cæde madet, semperque cruore
Pingue solum & faciles humano in sanguine dextræ,
Nec quisquàm evasit ripam irremeabilis oræ.
At Tellure sati adverso jam Marte videntes,
Omnia qua rerum jaceant perculsa ruina,

Diversi in cuneum coëunt: sublimibus hastis
Ferreus horret ager, circumq́ue ardescit ab armis.
Se lateri agglomerat primus, reliquosq́ue fatigat
Eumythus, insignis facie, & ditissimus agri
AEtolûm, quem clarus Atrax, patruusq́ue Tomarus
Ductorem Dolopum addiderant, populisq́ue Molossis.
Nec minor insequitur, seq́ue hosti fortiter offert
Impius Astorges, quo non scelератior alter
Orbe fuit toto, quà Sol utrumq́ue recurrens
Aspicit Oceänum, obversiq́ue Aquilonibus Austri.
Fama est hûic, gravida quandò puer editus alvo,
Prævenisse pedes, capite in contraria verso:
Quodq́ue magis mirere, hilari risu ore soluto,
Non tener enixus flevit, nec vagiit infans.
Haud obscura dedit tempus natale futuri
Signa mali: primos ortus rata signa sequantur.
Nam furiis actus patrem obtruncavit ad aras
Longævum, matremq́ue, scelus nè proderet ore,
Armentalis equi collo suspendit: at illam
Liber equus vinclis, campoq́ue potitus aperto,
Tesqua per & dumos, perq́ue invia saxa gementem,
Tendentemq́ue trahit palmas, omnesq́ue vocantem
In sua vota Deos, gnatiq́ue immania facta.
Sed non vota precesq́ue ulli exaudita Deorum,
Quamq́ue dedit gnato vitam, illo amisit ademtam.
Nunc etiam ut sceleri scelus adderet, impia cœlo
Prælia molitus tentatis excidit ausis.
Nam subitò assurgens telum inter densa Deûm rex
Agmina contorsit, solumq́ue per agmina vento
Fulminis Astorgen afflatum contigit igni.

Dejectus cadit ille, animamq; relinquit in astris,
Dumq; ruit, liquidis in nubibus ardet, & altum
AEthera signavit flammis: ceu fulgura cœlo
Transcurrunt, rutiloq; viam splendore coruscant.
Eumythus hoc viso, & casu perculsus amici,
Terga dat: illum ardens infesto vulnere Phœbus
Insequitur, calamumq; repentè per aerea terga
Transadigit: ruit ille solo, celeremq; ruinam
Cum sonitu dedit, & pronus terram ore momordit.
Fit gemitus morientûm, eademq; ad fata vocatos
Fata tulêre eadem: tum, qui Calydonidas omnes
Torsit amore Deas, Naupacteus Philoparthes
Tuîstonis occisus dextra, securus amorum
Oppetit: ô utinam sponsæ præcepta monentis
Audiisset, nec Cœlestûm venisset ad arma,
Sæpiùs ille quidem Tanaræ genitoris ad ædes
Respexit: subeunt curæ, ingeminantq; querelas
Nox & amor: vox ipsa Eraten & frigida lingua
Conclamans, Eraten morienti immurmurat ore,
Consonat oppositis Eraten convallibus Echo,
Sola tot AEtolas inter celeberrima nymphas
Quæ mentem inflexit, furtivo admissa cubili.
Et tibi Pærimedon casus evadere ferri
Non licuit, dentesq; inter supremaq; labra
Confixus, calidum læso vomis ore cruorem.
Tu quoque Mnesiares, & tu simul occidis Actor,
Teutonica fatis dextera servatus iniquis.
At quemcunque sua Tuîston pro laude laborem
Magnanimus molitur, eo sese acriùs omnes
Terrigenæ expediunt, magnòque ululante tumultu,

Accendunt Martem, referuntq; in prælia pulsos.
Stat pugnæ fortuna diu, poteratq; videri
Hinc illinc certari animis, & viribus æquis.
Sed Deus armipotens, Superûm cui summa potestas,
Ocyùs occurrit furiis, densumq; per agmen
Fulmine limitem agit vastum, magnaq; ruina
Proxima quæque metit. Ceu flavis messor aristis
Falce instans, quocunquè acies se verterit, altè
Procumbunt gravidæ segetes, & ducitur ingens
Sulcus agro, culmiq;, audita strage suorum,
Dura reformidant tondentis & æris acuti
Imperia, & lassa passim cervice residunt.
AEmulus hoc cernens patriæ virtutis Apollo,
Nè quid ab antiqua bellator laude remittant,
Accelerat, vulsoq; immani pondere saxo,
Cephysium ferit: olli ocreis luxata refractis
Genua labant, pronáque solo cervice recumbit.
Tum gladium stringit, nudoq; interritus ense
Instat adhuc dextramq; abscindit Alastoris aurem,
Cumq; genis truncas, in honesto vulnere, nares:
Ille gemens procumbit humi, atque in terga supinus
Calce ferit terram, & sparsa luctatur arena.
Rarescunt acies, magna intervalla videntur
Non tàm spissa viris, densaq; obsessa corona.
Pars etiam effugiunt timidi: nec tempore cædes
Acrior ullo illata fuit Cœlestibus: illa
Flos juvenum, virtusq; virûm occubuêre sub armis.
Non hoc Eurymedon tulit, atra fervidus ira
Bellaq; dissimulans, primùm cunctatur in omnes
Arte locos, nuncq; hos aditus, nunc improbus illos
Circuit:

Circuit: In campis veluti, cùm subdolus auceps
Insidias avibus molitur, & arte repostus
Ora bovis præfert simulati: aut acer equinas
Diffundit cervice jubas, graditurque superbè
Insultans campo, & miseris perdicibus instat
Fraude nova, donec profugas in retia cogat.
Non secùs Eurymedon, sed spe frustratus inani,
Arrepit, tandem irrumpens, gnatoque patrique
Furtim fata parat, telisque frequentibus instat:
Ter conatus utrumque neci dare, ter pater hastas
Reppulit omnipotens, immaniaque arma repreßit.
Sic ubi prima fides fortunæ experta, secundo
Sævit inops animi, haudquidquàm tardante senecta,
Occurrensque Jovi, has imo de pectore voces
Cum gemitu rumpit. Cur non procedis in æquor
Nunc, cùm bella manus poscant? cur, agmine septus
Gentis bis victæ, nostris te subtrahis armis?
Juppiter egregius: poßit quid vivida virtus
Experiare, veni: metuísne Typhoëa victor?
Non ille, at vocat Eurymedon, hunc aspice contra,
Si veræ nil laudis habes, hic laudis abundè.
Vel si nostra times metuendæ robora dextræ,
Fulmine me demitte neci, tua dextera perdat.
Sed tibi dextra dëest, tibi fulmina nulla supersunt,
Cœlum, quod petimus, nostrum est: discedite victi,
Exsilioque necem prævertite: nulla manebunt
Signa pedum, toto aut Superûm vestigia Olympo.
Talibus instabat, fixúsque manebat in unum
Ense Jovem. At dictis genitor commotus acerbis
Exsilit omnipotens, nec fulmine leniùs arsit,

Libravitq; manum, nunquam, majoribus usus
Viribus, infandum in caput & saevi ora Gigantis
Sed, nimiùm dum praecipitant furor iraq; mentem,
Non Erebi vivum potuit detrudere ad umbras,
Subiectamq; Asiam, coeli per inane volutus,
Attigit exanimis, quà primo fonte Cayster,
Tmoli intra Lathniq; vias, pulcerrimus exit.
Hoc tamen è lapsu, tamq; alta turbine adactus,
Respirat, torvosq; oculos ad sidera torquens,
Nescio quae Superis fanda atque nefanda minatus,
Haec, via cùm voci laxata dolore, profatur.
Hauriat has oculis poenas crudelis Olympo
Juppiter, & nostrae laetetur imagine mortis.
Sat Vestae sociisq; datum: quae bella parárim,
Sensisti, atque equidem haud parvo tibi, perfide, constant.
Pectora pectoribūs objecimus, ensibus enses,
Arma armis: damnis contraria damna rependi.
Magna quidem, at cùm mors anima secluserit artus,
Major erit gelidas Erebi mihi fama per umbras:
Me Superis fecisse metum mirabitur Orcus,
Territaq; audaces excludent Tartara manes.
Haec victoria nostra, exspectatiq; triumphi,
Vincere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Talia dum clamat, geminatus anhelitus haurit
Pectora, & extremus super errat spiritus ora.
Sed fera difficiles obitus, longumq; laborem
Parca dat, ut nequeat curis imponere finem,
Ultricesq; movent stimulos sub pectore Dirae.
Non tulit hanc speciem lacrymis Periboea nitentes
Interfusa genas, casum indignata parentis

Magna-

Magnanimi, atque imo ducens suspiria corde,
Sæpiùs æquorum Neptunum in vota vocavit.
Omnipotens pelagi domitor, Saturnia proles,
A Jove cui primum imperium est, & prima potestas,
Si tibi grata mea cecidit, pater, hostia dextra,
Sacraq; virgineis oneravi limina donis:
Si te ritè tuas venerantur munere ad aras
Tænariæ Aöniæq; nurus, & Pitthejaq; Troezen,
Has te per lacrymas per si quid dulce reliquit
Exstinctus pudor, it furtivæ gaudia noctis
Unum oro, quod fortè dabis: nam gratus honorem
Saltem aliquem erepta pro virginitate reservas,
Exue commotam, victus prece supplice, mentem
Luctantemq; animam genitoris, & ægra resolve
Pectora, supremaq; oculos in morte natantes,
Ut tumulum statuam, & tumulo solennia mittam.
Talibus orantem dictis & plura volentem,
Audiit, ingemuitq; Deus, miseratus amantem,
Tergeminámque Hecaten testatus, aquasq; silentes
Ter frontem tetigit, ter singultantia corda
Concussit, vacuasq; animam diffudit in auras,
Contulisq; simul liquefactus in ossibus humor
Solvitur & primum rivos parit, inq; paludes
Diffluit, & tenera prætexit arundine ripas.
Tandem etiam Lyciis fit maximus amnis arenis,
Vixq; lacu, & pleno fluvii se continet alvêo,
Tam subitæ vis fervet aquæ, postquam ipsa Tonantem
Fata petit, cupiensq; iterùm consurgere in altum
Aggeribus ruptis, imo Pamphilia fundo
Stagna ciet tumidus, veteresq; resuscitat iras:

Cùm tamen aërias sedes sit adire negatum,
In populos urbesq́ue furit, sylvasq́ue volutans,
Cum stabulis armenta rapit, natat agmine denso,
Immersum pecus, & laxo bibit æquora hiatu.
Umbra subit terras, & opaci limina Ditis,
Non pice torrentes, atráque voragine ripas
Horrescens, imísque Acheronta irridet Avernis.
Navita quam Stygia ut primùm conspexit ab unda,
Trajicit extemplò Cocytum, & rauca fluenta,
Ingentemq́ue rati capit umbram: occupat alnum,
Perq́ue foros, juga, transtra, & totum mole phaselum
Porrigitur, quòd non Theseûs cum fratre, nec audax
Fecerat Alcides, animæ non mille priores:
Utq́ue latus movit, vasto sub pondere cymba
Ingemuit, mediisq́ue Charon effusus in undis
Exciderat puppi, ni protinùs antennarum
Cornua rapta senem servaßent funere nautam.
Ille timens properabat iter, cursumq́ue tenebat
Jam medium, avulsæ tabulis cùm tegmina ceræ,
Nudatíque labant cunei: fluit undiquè rimis
Tarda palus: latera obstruit ille, atque egerit undas,
Festinatq́ue simul, superato gurgite regis
Donec in adverso sceleratos littore manes
Exposuit, nil Ditem & Tartara cœca timentes.
Sed famis impatiens jejuno Cerberus ore
Corripit, ambesis dapibus frustisq́ue relictis,
Expositos, epulisq́ue vacat genialibus antro.
Fit strepitus clamorq́ue Deûm Eurymedonte peremto,
Phæaco Eurymedonte, uno quò sospite nunquàm
Res equidem victæ cœli Terræq́ue fuissent.

Attoniti

Attoniti contrà percussa mente profundunt
Terrigenæ lacrymas, & questubus omnia complent.
Multa viri virtus, multo spectata labore
Occursat, fixiq; hærent sub pectore vultus,
Qualis erat, quantusq; armis, crudele Tonanti
Cùm strueret fatum, & rerum affectaret habenas.
Quisque sua ducis interitum quàm morte redemtum,
Vellet, & ætherias revocari ad luminis auras:
Omnibus unus amor lethum pro rege pacisci:
Sic indignantes animos cum murmure magno
Ira dolorq; coquunt: cernunt indigna suorum
Funera, nec quidquàm, nisi pulcrum occurrit, in armis
Aut cadere, aut hosti, fœdum, dare terga sequenti:
Concessamq; fuga cœlo permittere palmam.
Mens animosa sat est, & cedere nescia virtus,
Attamen infractæ torpent ad prælia vires,
Languescuntq; animi præsentis imagine lethi.
Ollis ira modum supra est, majoraq; versant,
Dum successus alit, dum fors virtusq; labori
Aspirant, fervensq; calet sub pectore Mavors.
Primus & Alcides casus audentior omnes
Aggreditur, clavaq; Licrum ferit, aurea nudo
Fibula quà lateri discrimina parva reliquit:
In faciem ruit ille solo, clausasq; sopore
Nox æterna oculos tenebroso involvit amictu.
Hûic adjungit Hylam, non hunc, quem fonte relictum
Perdiderat, sed quem Pitheüs Salaminius alta
Miserat Oenopia, quo non felicior alter
Tela manu regere, & volucrem sub nube volantem
Figere, vel certo sua ducere cornua puncto.

Infelix puer, arboreum qui robur & hastam
Tentaret, dextra non sufficiente, trabalem:
Hîc nil ingenio potuit, nil arte magistra,
Hasta stetit tremebunda, cavoq; repulsa leonis
Tegmine, deflexit lævum, nec pertulit ictum.
Sic fato ereptus victor, tibi, magne tropæum
Juppiter, acclivis suspendit robore trunci
Purpuream chlamydem, molli quam neverat auro,
Atque sui dederat monumentum & pignus amoris,
Candida Cymodocea, operum haud ignara Minervæ.
Succedunt alii atque alii: Carmelus, & armis
Clarus Anandanus, quorum prior ille Myconem
Appetit, & magnis intorquet viribus hastam,
Nutantemq; ferit, quà baltheus ilia cingit.
Hic Clanium sternit gladio, tum tempora utrinque
Diffidit Eriolæ, simul uno eòdemq; furore
Sanguine adhuc madidum, sparsoq; cruore rubentem
Vertit in Antellum, leviter cui primus Apollo
Strinxerat ense latus, vastamq; recluserat alvum.
Territus hoc cernens Dolopes, cursu avolat, omni
Absq; mora, reliquumq; fugax aufertur ad agmen.
Accelerat Deus, & tanta vi concitus ensem
Fulmineum in tergum vibrat fugientis, in ipso
Cernuus ut simul ictu, immunda stratus arena,
Collapsi plantas Dolopæ contingeret ore.
Intereà furtim Divûm se subtrahit iræ,
Euboïcisq; timens Polybotes errat in undis.
Hunc pariter curru sævoq; tridente sequutus,
Increpat his Deus. An Neptuni evadere demens
Sperasti te posse manus? partóne triumpho

Ibis

Ibis Ielyssum incolumis, patriumque Camirum
Aspicies, scelerum & belli communis Erymis?
Non ita, te phocis monstrisque natantibus escam
Alitibusque dabo, mea testor sceptra, marinis.
Per freta vasta Gigas, quantùm valet, effugit iras,
Myrtoöque brevi spacio secluditur alto,
Junonis jam parte Samo Dolicheque relictis.
Hoc spes major alit vitam, spondetque salutem:
Non scopuli, rupesque cavæ, non invia tardant,
Adnixusque agitat spumas, & marmora verrit.
Ille instat fugienti, & verbere terga fatigat
Quadrupedum: solido graviter quatit ungula cornu
AEgæum, magnaque volat vi fervidus axis.
Verùm, ubi nulla datur profundum affectare potestas,
Infremuit Deus, & Cois allabitur oris,
Concutiensque solum, duro labefacta tridente
Saxa ciet, totoque innixus robore, partem
Avellit, vulsamque jacit, præruptus aquæ mons
Insequitur jactum, fulvasque elidit arenas,
Spumosaque simul Polyboten mergit in unda.
Tantæ molis erit saxum, ut, licet occupet alvêum
Carpathii immensum, & radice ad Tartara tendat,
Fronte tamen summo Nisyrus ab æquore surgat.
Jamque Deæ triplices extrema hostilibus ausis
Fila legunt, statuuntque armis imponere finem.
Ipse quidem centum geminus post terga Typhoêus
Horrorem immittit Superis, atrumque timorem,
Palantesque iterùm socios, incertaque cogit
Agmina, jam abjectis miserè trepidantia signis.
Sed frustrà, namque ut primùm via facta per hostes,

Obvius haud quisquam Divis se impunè tulisset,
Aut virtute pari sese opposuisset in armis.
Hic strepitus fugientûm exaudiri, inde cadentûm,
Lapsantûmque solo gemitus: subitò undiquè plangor
Erigitur lugubris ad auras, corporaque alto
Cæsa cruore volutantur: pugna aspera surgit,
Et calido exundat perfusum sanguine cœlum.
Hinc puer Oebalius mediis in cædibus, acri
Ardet equo, nuncque hos gladio, nunc excipit illos:
Immanemque dari, corda inter inertia, votis
Enceladum, aut pulsum descendere ad arma Typhoëa
Optat ovans, hostemque vocat, nec se capit ultrà.
Omphityum Pollux: Abiasthum sternit Apollo:
Iphidoönta soror: fugientem Asclepius Arnum,
Arnum, cujus amor Nymphæ Dodonides omnes.
Occidit & Lycion, & jam longo obsitus ævo
Terpandras, & vos, imperdita corpora ponto,
Launus & Oriades, quos tempestatibus actos
Penè simul præceps Neptuno immerserat Eurus.
Multa virûm, nimia cæde atque cupidine ferri,
Corpora fusa solo linquunt, nullaque potiti
Præda abeunt, potius cunctis hostile tropæis
Ducentes jugulum, & caput à cervice recisum.
Unus Achæmenii vix telo elapsus Amani,
Cœus adest lacrymans, obtestaturque Typhoëa
Rebus ut afflictis desperatisque salutem
Auxiliumque ferat, cuncti quod & ore fremebant.
Ille quidem, at multùm prisca virtute remittens,
Addere vim victis conatur, & agmine facto
Sistere fortunas Divûm: sed cogere in unum

Copia

Copia nulla datur, nec respirare potestas.
Tum portenta vetant. Pelias nam & tardus Oniscus,
Arcadicæ pecudes, ambo terrore metuq;
Horrificam intendunt vocem, qua tecta domusq;
Insonuère cavæ, cœlumq; remugiit altum.
Hîc Lælaps, illic latratu personat arces
Ledæa Procyon recubans immanis in umbra.
Terribili insequitur strepitu, procul ære canoro
Ingeminans, totoq; sonat Deus æquore concha,
Inceditq; animos Divûm in certamina Triton.
Hoc magis Anguipedes concußi, auctúsq; per omnes
Horror it, atque ingens trepidos pavor occupat artus:
Jam res fœda placet, pedibusq; fugacibus omnem
Spem jaciunt, ea visa salus: & primus Acarnan
Terga dat Alphestes, pariterq; excedere pugna
Enceladus Cœusq; parant, unaq; juventus,
Quam necdùm effœtæ tardant in corpore vires.
Consultum sibi quisque cupit: non ulla cadentûm
Lapsantûmq; cruore atro suspiria tardant.
Immanis veluti pecora inter inertia tigris
Cùm furit, & dispersa cavis armenta fatigat
Saltibus: omne nemus mugitibus horret, & altum
Dißultat, rorantq; aspersi sanguine vepres.
Territus ipse etiam sociorum sorte Typhoëus
Extimuit, cœpitq; suis diffidere rebus:
Nec se poße videns solum tot tendere contra,
Desinit obniti Superis, ceditq; furori.
Hoc Deus aspiciens sceptra metuendus & igne.
Ille fuga fidens, nostræne illuserit iræ?
Nec scelerum meritas expendet sanguine pœnas?

Dixit: & ardentes densa inter nubila flammas
Contorsit: sonuère auræ, magnoq́ue fragore
Intremuit Thasus, & Rhesi Mavortia tellus.
Olli ingens rupit vulnus telum, ossaq́ue & artus
Perfregit toto conjectum corpore fulmen.
Volvitur in caput, & magno fluit agmine sanguis
Vulneribus, manatq́ue actis cruor undiquè rivis,
Quo fossæ implentur circùm, & cava flumina crescunt.
Tandem, ac si experrectus ab alto lumina somno
Erigeret, gelidi se vallibus eripit Hæmi.
Quà medium Rhodope cœli porrecta sub axem
Excurrit, truditq́ue nives Oeagrius Hebrus,
Teq́ue Propontiacis surgentem Cyzicon undis,
Vicinasq́ue legit gentes, & mœnia quorum
Hellespontiaci servat tutela Priapi.
Indè, timore celer, trans Gargara, transq́ue sonantem
Ascanium, & buxo undantem flavente Cytorum,
Altaq́ue Cappadocis trans flumina Thermodontis
Transit, ubi pictis bellantur Amazones armis.
Undè, velut perhibent, totos ex ordine menses,
Solus Hyperboreo septem subjecta Trioni
Arva adiit, nunquàm Scythicis viduata pruinis:
Caucaseo, infelix, steriles in vertice sylvas
Perlustrans, horrenda inter deserta, sine ullis
Hospitiis: semper spirantes frigora Cauros
Et Boreæ excipiens sub divo flabra, ubi nullæ
Aut herbæ campo apparent, aut montibus arbor,
Quæ fessum exigua ramorum protegat umbra.
Vertitur intereà, sero jam vespere, cœlum,
Et nox atra cava terram circumvolat umbra.

Diffugiunt

Diffugiunt Tellure sati, totumq; per orbem
Dispersi trepidant, & nocte teguntur opaca,
Qui priùs ingenti cœlum obsidione premebant.
Italiam pars magna petit, pars littora Cretæ,
Otus ubi validis iterùm se instruxerat armis,
Auxilioq; omnes Curetum attraxerat urbes,
Unus adhuc tenebris defensus, at ense Falacris
Ante Gyges victus non uno vulnere, cæcis,
Eccè, trahebatur latebris, quem Juppiter actum
Desuper, igne gravi tremefacto excussit Olympo.
Ille novem soles, totidemq; per æthera noctes
Labitur: à terra spatio delapsus eodem,
Ad Phlegetonta venit. Nam lucida quantus ad astra
Suspectus, tantùm in præceps patet ater Avernus.
Increpuêre fores scelerataq; limina, postquàm
Uivus ad infernas immani corpore sedes
Uenit, & attonitæ tenues sine sanguine vitæ,
Elysiis arcere arvis, campisq; piorum
Pro se quisque parant: ille umbras fortiter omnes
Exsangues solo removet, sine vulnere, flatu.
Haud secùs ac fragiles culmos, stipulasq; volantes
Turbine verrit hiems, vacuas sublime per auras.
Audiît hoc omnesq; erexit crinibus angues
Tisiphone, ultriciq; Cigen accincta flagello
Castigat, subigitq; hydris, vincitq; catenis.
Et jam tempus erat, quo primo irrorat Eöus
Tellurem nitidoq; retexit lumine mundum.
Horror ubique animos, & plurima noctis imago
Terret adhuc cœlum, nondùm oblitum ante malorum.
Uix reparare diem, seniori avula marito:

Audet, & obscuro Pallantias exit amictu:
Lunaq; virgineo multum suffusa rubore
Occulit asperso rorantes sanguine bigas.
Juppiter at primam terris albescere lucem
Prospiciens, leviter semel intonat, & simul omnes
Expediant, jubet, arma Dei, mox voce monentis
Corripit è stratis sese cœlum omne, ruuntq;
Quisque repentino sonitu, sociosq; fatigant
Belli ad relliquias: tunc quos aurora morantes
Attigit, ignaros paßim terræq; lociq;,
Hos tulit orta dies, & inexorabile fatum.
Heroüm in primis se matutinus agebat
Alcides, plenus virtutum animiq;, nec ullis
Fractus adhuc damnis, seq; ipso major in armis
Non aliter duris quàm tonsa bipennibus ilex
Damna per & cædes, dextramq; secantis, ab ipso
Ducit opes ferro, atque apicem intra nubila condit.
Hunc circumsistunt totoq; sequuntur Olympo
Cœlicolæ, galeis & ahena luce corusci.
Prospectum ille petit speculis, si fortè Typhoëus,
Aut quisquam occurrat medius de gente Gigantum:
Hostem in conspectu nullum toto æquore campi
Offendit, vacuosq; videt sine milite montes:
Tantùm animæ viles, inhumata, infletaq; turba
Strata jacet circùm, nondumq; infossa sepulcris.
Hanc tamen aspectat lacrymans, primoq; juventam
Flore stupet fractam bello, fatisq; repulsam.
Abruptos etiam montes, avulsaq; veris
Saxa locis, terræq; specus miratur hiantes,
In quibus argenti rivos, ærisq; metalla

Invenisse

Inveniße ferunt homines, auriq; reposti
Antè quidem venas primùm fluxiße reclusas,
Et speciem misti electri, subitò undè per orbem
Tàm multæ scelerum facies, tàm tristis Erynnis,
Et fas atque nefas versum prorupit, ut omnes
Cogat avarus opes, defossoq; incubet auro:
Undè iræ armorum, & clausæ compagibus arctis
Bellorum verso reserantur cardine portæ,
Stricturæq; micant æris, silicesq; fluentes
Vulnifico chalybe, ardenti fornace liquescunt.
Eccè autem, socii meliùs dum singula lustrant,
Accurrit, mediis Silenûm elapsus ab armis
Infelix Celadon, jam vulnere tardus & annis,
Quem, dum victores Superi fugientibus instant,
Terrigenæq; metu cœlestia limina linquunt,
Immemores socii solum sub nocte silenti
Deseruêre, lacu hærentem, atque palustribus undis.
Isq; ubi non longè venientia territus arma
Conspexit, cecidêre animi, gelidusq; cucurrit
Ima per ossa tremor, veniamq; exposcere factis,
Amplexus genua Alcidæ, molitur, & ignes
Ætheris, & talem qui te genuêre parentes
Testor, ait, parce exanimi, miserere precantis:
Me bello ætherios fateor petiisse penates,
Ausus triste nefas, Divûm at placabilis ira.
Diluvio è tanto incolumem vivumq; reserva
Elapsum: solus profuga cùm gente supersim,
Fac precor, ô, superet, qui famam extendere facti
Hanc poßit, meritosq; aris indicere honores.
Sic fatur pavitans, faciemq; ostentat, & udo

Turpia membra fimo, Vestesq; palude fluentes.
Ignovisse quidem poterat tam multa precanti,
Tendentiq; manus, si irati ignoscere scirent.
Magnus enim Alcidæ placidas furor obstruit aures,
Difficilisq; preces, & questus respuit omnes:
Tum portenta vetant, nam dum se attollit ad auras,
Altaq; suspexit cœli convexa, sereno
Augurium priùs ut captaret ab æthere, lævum
Intonuit subitò omnipotens pater, & simul ingens
Visus ab Aurora cœlum transcurrere fulgor.
Hoc animum arrectus monstro, tonitruq; sinistro,
Affatur genitorem, & sanctum fulmen adorat,
Visa sequor, quodcunque velint: hic poscitur aris.
Hunc etiam tibi magne pater, gratumq; cruorem
Macto, sacra ferens: ira hoc satiata recumbat,
His aras viridi erexit de cespite dictis,
Librataq; viri perfregit tempora clavæ.
Ceu bovis intentans fixam cervice securim.
Concipit antè preces, Divisq; in vota vocatis,
Dat flammis pecudes, tingitq; in sanguine cultros.
Ille quidem silet, at dolor alta silentia cogit
Rumpere, & infrendens ora indignantia solvit:
Non Alcmena parens, generis non Juppiter auctor,
Amphitryoniades: tibi nox satis una fuisset,
Ut talem tamq; immitem, victisq; superbum
Conciperet genitrix: ea fertur fabula vulgò:
Saxa fretumq; tui auctores, genus omne ferarum
Sævitiam dedit: hæc tibi sed monumenta relinquo,
Non longùm facto lætaberis: imminet ultrix
Oeta tuo sceleri, proprioq; ardebis ab igne,

Talibus

Talibus ora impreßa solo morientia condit,
Avertitq; oculos: ita in auras vita recessit.
Panditur interea oppugnanti regia Olympi,
Obsessæq; domus: cœlo juvat ire relicto,
Disjectosq; videre viros, molesq; Gigantum
Spirantes, & adhuc immani cæde tepentes,
Undiquè, visendi studio, ruit æthere ab alto
Divûm magna cohors: ingens concursus ad ipsa
Corpora, jam letho, & toto luctantia Averno.
Sed mentem expleri nequeunt: juvat usquè morari,
Et lustrare oculis confusæ stragis acervum.
Eumythus hîc jacet, atque suo se vulnere versat
Astorges: hic ora modis pallentia miris
Nescio quis tollit, proprioq; cruore volutat.
Nec pater AEgæus, non tanti exqertia belli
Sunt maria: arva nova Neptunia cæde rubescunt,
Totq; virûm ingentes in littore fluctus acervos
Proluit, ut pelago motas innare putares
Cycladas, aut cetorum exstare immania terga.
Turba ingens animarum etiam, jam luce carentûm,
Ditis ad obscuros nigra formidine lucos
Descendunt, Erebiq; domos atque intima lethi
Limina deveniunt, & Tartara murmure complent,
Expenduntq; suas pœnas, furiisq; coactæ
Verbera sæva pati, fundo volvuntur in imo.
Plures, quos stagnum haud paßus transire severus
Portitor objectum, hospitio prohibentur arenæ.
Millia tot nunquàm Stygiam implevêre paludem
Exsequiarum inopes, & mortis honore carentes.
Iönio citius numeraveris æquore fluctus,

Poma quod autumnus, quot flavas messis aristas,
Aut quod Iäpygiam sitientem examina vastant
Muscarum, exiguas cùm Titan contrahit umbras.
Nec datur infernas miseris transmittere ripas,
Hos dum pontus habet, ventiq; in littore versant,
Illos mœsta parens nondùm dignata sepulcro
Donec ad extremum Alcides inhumata sub unam
Ossa tulit Myconem, & multa tumulavit arena.
Tum demùm admissi, remis vada livida verrunt,
Cocytiq; secant tardas inamabilis undas.
Sic primùm sors versa fidem, atque incœpta fefellit
Terrigenûm, profugos eadem fortuna sequuta est.
Errabantq;, acti terris, maria omnia circum:
Nunc ubi Pellæos aperit Candavia saltus,
Nereïdumq; fluit matri gratissimus AEas:
Nunc ubi consurgunt vicina Ceraunia cœlo,
Et quondàm medio venit vi pontus, & undis
Phœacum Epiro diductas abscidit arces.
Quidquid agant, successus abest, requiesq; negatur.
Juppiter ipse instat pavidis, terretq; timentes,
Multaq; per cœcam molitus fulmina noctem,
Nititur Adriaco profugis se opponere ponto,
Sed frustrà vires Jovis exercentur & iræ:
Vincit iter durum metus, atque per invia ducit
AEquora: non Scyllæ centum, non mille Charybdes
Occlusisse viam poterant, aut vertere cursus.
Quarta dies aderat, stellisq; Aurora fugatis
Orta rubescebat, prima cum luce per umbras
Obscuri apparent colles, humilisq; propinquat
Trinacris: à dextra se diva Lacinia, & altum

Promit

Promit Iäpygium cum navifrago Scylaceo.
Cautus at Enceladus, Siculis allabimur oris,
Exclamat, veterum decepti errore locorum,
Excutimur cursu: Hesperiam Saturniaq; arva
Est animus petere, & Latiis considere terris.
Flectite iter longè ad dextram, implacata Charybdis
Hìc habitat, latratq; informis Scylla profundo:
Effugite ò socii, Oenotriiq; hanc littoris oram,
Proxima quæ Hadriaci perfunditur æquoris æstu,
Arripite, aut rapidis monstrorum immergimur undis.
Haud secùs, ac jussi, faciunt: primusq; regressus
Contorsit dextras cursum Periphætus ad undas:
Dextram cuncta cohors, magno clamore sequuntur.
Effugit intereà primùm vicina Calypsos,
Caulonisq; arces: AEtnæ evanescit in auras
Fumus, & Herculeï rarescunt claustra Tarenti,
Iöniumq; capax, contracto gurgite, longo
Fit minus aspectu: propior sonat Aufidus undis,
Garganiq; jugum se majus ab æquore tollit,
Altior & surgit pater Apenninus ad auras.
Illum omnes procul admirati voce salutant,
Illius auxilium & sanctum prece numen adorant,
Defunctiq; errore viæ, tellure potiti
Succedunt Itala, & gratæ advertuntur arenæ.
Tum prior Enceladus, passis de littore palmis,
Divosq; Geniosq; loci, atque ignota precatur
Numina suspirans. Vos tandem parcite genti
Terrigenæ Hesperii, pluresq; avertite casus:
Vos prohibete iras, Superûmq; arcete furorem:
Reliquias servate: inopi succurrite turbæ.

Tuq; ô, prima Deûm Tellus, sanctissima mater,
Qui te cunque locus miserantem incommoda nostra
Forrè tenet, quocunque solo, quibus orbis in oris
Mœsta lates, nostræq; coquit te injuria cædis,
Huc ades, ô, tandem, & nostro succurre labori.
Imperium non jam antiquum, promissaq; sceptra
Oramus: non ut careat pulcro hostis Olympo:
Saltem hunc abjectum vitæ mortalis honorem
Conserva; vitamq; sequentibus eripe Divis.
Vix ea finierat, cùm campo insurgere nubem
Obscuram procul aspiciunt, & pulvere moto
Visus adesse pedum sonitus, tractuq; gementem
Instrepere, & stridere gravi sub pondere currum.
Ad sonitum arrectæ mentes, subitoq; per auras
Maternos vidêre choros, ipsamq; relicta
Antandro, Phrygiæ venientem montibus Idæ.
Hei mihi, qualis erat, vultu quàm tristis, ab illa
Quàm Cybele mutata, priùs quæ immanibus ausis
Terrarum domito imperium affectârat Olympo,
Captivumq; Jovem, vinclis & carcere clausum,
Frenare, æternumq; jugo submittere Divos.
Quanta spe dejecta venit: non splendida luxu
Regali, aut picto chlamydem circumdata lymbo.
Textilibúsve crepans domis, & torquibus aureîs:
Non rubor & niveæ sublucet purpura fronti,
Quiq; fuit, longè est alius color: horrida vultum
Deformat macies, & vix cutis ossibus hæret.
Nec tantùm dolor ille tuum Berecynthia pectus,
Tangit & indomitas mentes, rationis egentes,
Nesciaq; humanis precibus mansuescere corda

Assueti

Assueti imperiis dominæ visi ore leones
Ingemere, & querulas in fletum ducere voces:
Non sinuare pedes, non colla comantia pexi,
Fulvaq; compositis ornati tempora sertis,
Antè velut, plausæ sonitum cervicis amaræ.
Ut propiùs tandem ventum est, & cernere coràm
Gnatorum ora datum, mœstas expromere voces
Incipit illacrymans. Uerus mihi nuntius ergò
Uenerat, exstinctam passamq; extrema trisulcis
Progeniem flammis? Est hæc promissa parenti
Gloria, devicto cœlo hæc spolia ampla refertis?
Fortunati animi, qui, nè quid tale viderent,
Fortiter occubuêre: utinàm sublata fuissem
Iam pridem ipsa etiam, nec in hunc servata dolorem.
Uellem equidem gelidas gnatis comes ire sub umbras.
Imperio jam promisso diffidimus: astris
Affectamus iter frustrà: speravimus illa,
Dum fortuna fuit: nunc spes nova lactat, & illa
Irrita forsan erit, cœptisq; simillima primis.
Si modò quem vestrûm diræ subducere pugnæ,
Et bello incolumem superesse Typhoëa detur,
Quo decus & primæ stirpis revocentur honores,
Non equidem omninò Superis orbata viderer.
Sed frustrà hæc, votis nil proficientibus, opto:
Non unquàm dabitur, fatis auctoribus illum
His superesse malis: periit cum matre Typhoêus,
Quem fore Titanum ultorem, casusq; levamen
Rebar, & hoc salvo me posse resurgere victam.
Ille mihi curas & bella peracta canebat,
Ille malis solamen erat post fata Meno et I

Magnanimi, & patrua conspersum cæde Tonantem.
Quis locus, heu fili, quæ te maria in via tardant?
Te quibus errantem terris, quibus exsul in oris
Ejectum inveniam? superásne & vesceris aura,
An procul ante diem, procul illa crymabilis Orco
Victima prostratus, mediáq; inhumatus arena,
Supplicia exhausti? vos, ô, mihi reddite gnatum,
Reddite conspectum, ille erit hûic medicina furori.
Si cœlo Superi excludant, Erebusq; Chaosq;
Vos capiant: ite egregii, factisq; celebres:
Si Stygias tranavit aquas, tenebrisq; profundas,
Imbelli fretus cythara, descendit ad umbras,
Conjugis in lucem ut manes arcesceret Orpheûs,
Ausus idem si, Pirithoö juratus amico,
AEgides, raptamq; semel tentare maritam,
Vos Phlegethon, tardat, vos interfusa coërcet
Unda Stygis? longo curvus vos portitor ævo,
Canitiesq; movet defessa, & sutilis alnus?
Cedite degeneres, non defensoribus istis
Me tegere, atque armis Superûm defendere, nedùm
Asserere imperium dabitur, cœloq; potiri.
Talia cum gemitu mistoq; profata furore,
Proripuit sese ex oculis, inimicaq; fugit
In nemus Idæum, hîc olli pulcerrimus Atys
Respondet curis, & lenit amore dolorem.
Nec minùs Enceladus, fugientem voce sequutus,
Quò crudelis abis, clamat, quid surgis in iras?
Siste gradum: dura quid inexorabilis aure?
Nondùm omnis sublata salus. Sed torva tuentem
Flectere non potuit, non emollire precando.

Indè iter insistunt, non læta fronte repulsi,
Atque illaudato rectas Læstrygone terras
Deveniunt, dictamq; ducis de nomine gentem.
Diditur hic subitò vicina per oppida rumor,
Famaq; finitimas implevit nuntia terras,
Ingentesq; viros, ignotæ stirpis & ortus,
Advenisse ferunt sublimi in principis aula.
Obstupuêre omnes animis populiq; patresq;,
In primis Rex ipse: statimq; in tecta vocatos
Imperat acciri, & folio sic fatur ab alto.
Quis Deus aut error nostris vos applicat oris?
Quid petitis profugi, Ausoniis quid quæritis arvis,
Gens peregrina virûm, nostroq; incognita seclo?
Dixerat: Enceladus contrà sic reddidit ore.
Rex, genus egregium pelagi, Neptunia proles,
Cûi populos urbesq; datum frenare superbas,
Non errore viæ, sed cœli numine læso,
Vi Superûm profugi, terris jactamur & alto:
Hæc est causa caputq; mali: tot adire labores,
Volvere tot casus Cœlestûm impellimur ira.
Terrigenas & tela vides inimica Tonanti,
Hancq; actam Emathia, subjectiq; orbis habenis
Gentem magnanimam, vinclis nec legibus ullis
Subjectam, & veteri pro libertatis amore
Arma Jovi movisse, & DIs adversa tulisse
Signa, sed infausto (dolor est meminisse laborum)
Eventu, & regnis pulsos cessisse paternis.
Nos igitur pauci vestris adnavimus oris,
Exsiliiq; locum exiguum, auxiliumq; rogantes,
Subvenias petimus rebus, non asper, egenis,

Quò prisca virtute Jovem vel tendere contra
Poßimus, cœptumq́; animis inhibere furorem.
Non equidem extimui, æquoreæ quòd stirpis, avumq́;
Saturnum, patruumq́; Jovem, Divosq́; propinquos
Sanguine denumeres, primaq́; ab origine cœlum:
Hoc & Aloïdæ gemini, hoc Neptunius Almops,
Hoc & Athos fecêre, Tonanti seq́; suosq́;
Objecêre tamen: quod te per jura fidemq́;
Perq́; parentem oro, atque indigna morte sepultas
Fraternas animas, ultriciaq́; arma rogantes.
Dux fuit Eurymedon nobis, illustrior armis
Quo vix alter erat, Phæacum è sanguine cretus:
Huic si fata viro, si Parcarum invida nostro
Jussa pepercissent generi, haud abolesceret acti
Gratia, & officio miseris certasse pigeret.
Talibus Enceladus mulcet Læstrygona dictis.
Obstupuit Rex auditis, terraq́; moratus
Paulùm oculis, sic tandem ora admirantia solvit.
Quid loquar, ô caræ gentis fortißime, vobis
Dux fuit Eurymedon, quem magnanimo Ianira
Alma dedit partu quondàm compressa Phalacro?
Ipsum equidem memini huc olim Phæacibus actum
Cum genitore suo nostros subiiße penates.
Tunc maternus avus lætißima regna domosq́;
Imperio, Caulona etiam, fortesq́; Timavi,
Et mare, quod supra Hesperiam alluit, omne tenebat.
Præ reliquis unum insigni tum laude ferebam,
Gaudebamq́; puer puero, juvenilibus ambo
Et studiis animisq́;: & nunc, si viveret, ætas
Eßet par nobis, & idem quoque robur ab annis.

Illum

Illum at fata premunt inimica, effœta senectus
Me cogit: populi ingentes, opulentaq; regna
Dissidiis distracta labant: hinc proximus arcto
Limes agro positus, Thyrreno hinc claudimur alto.
Cætera Tybris atrox, montis regnator Hetrusci,
Laurentesq; tenent domini, sævusq; Ligystus.
Quod tamen imperii vires patiuntur, opesq;
Exiguæ, dabimus lituos & vulnera pubem
Marte sub adverso expertam civilibus armis.
Intereà nostris fessi succedite tectis,
Speq; fovete animum, & tristes secludite curas.
His dictis simul erecti, cunctisq; repentè
Lætitiæ improvisa oculis affulsit imago.
Solvunt corde metum, & læti convivia curant.
Fama fidem facit intereà, missiq; reportant
Exploratores, armato milite terras
Curetum obsessas circùm, magnaq; virûm vi
Littus Aloïden Otum cinxisse, nec ullum
Hoste vacare locum, et tota tellure potitum.
Quin etiam primas urbes ipsumq; Milinum,
Musæiq; manus ducis uno pectore bellum
Conspirasse novum, & coïsse in fœdera dextras.
At nil omnipotens genitor, domitorq; Gigantum,
Attonitus, timet infandi conatibus Oti,
Et belli rumore novi, sed sævior ardet
Offenso ira animo: pœnas traxisse per omnes
Relliquias placet, & profugos, atque ultima belli
Auxilia euertisse, ut nil de gente relictum,
Non cineres, nè signa quidem vel fama supersit.
Omnibus idem animus Superis: hinc magna Lacones

Incrementa Jovis, Sancusq; & Carus Ogöas
Certatim exciti circunstant tecta Tonantis,
Germanusq; pater lorica inducitur artus
Ære gravi Tuiston: fulgent cuncta arma, jubaq;
Quadruplici crinita tegit galea aurea crines.
Hinc ruit Alcides, hinc Persea justus in hostem
Fert dolor, & merita accensus Saturnius ira,
Tela manu flammasq; rapit: solum omnia contra
Fulmina Aloïden cœlestiaq; expedit arma.
Tum circumspiciens quàm sese in bella sequantur.
Præstantes virtute Dei, nè cedat honori,
Talibus aggreditur dictis, cessante tumultu.
Egregiam certè laudem, & memorabile nomen,
Vos æternæ animæ, & cœli omnipotentis alumni,
Antè triumphato victoq; tulistis ab hoste:
Idem hostis cùm bello reposcat, at antè repulsus,
Et sociûm desertor, easdem promite vires,
Atque iras, quibus in Phlegræis montibus usi:
Gloria vos eadem, majoris nescia laudis.
Excitet antiquam in virtutem, animosq; viriles.
Ipse ego me, gemino quoniam divellimur hoste,
Hac cum parte Deûm, & Phœbo Phœliq; sorore,
Me me Oto objiciam: sint incunabula curæ
Saltem nostra mihi: profugō ego prælia faxo
Magna satis, licet ipse fuat regnator Averni,
Tu sævum Enceladum Alcida contra obvius ito
Cum reliquis, cœlúmque instantibus eripe fatis:
Vertito tela manu sanguis meus: arripe castra,
Turbatasq; acies: erit olim gratia facti
Magna tui: patre me non indonatus abibis:

Debita cùm vitæ complerint tempora Parcæ,
Mortale eripiam formam, stellisq; locatum,
Accipiam cœlo, structisq; vocaberis aris.
Si fors gnate tuos ardes cognoscere honores,
Quà locus inter Avem labentem & Gnoßia serta
Panditur, ecce, caput venienti Epidaurius anguis
Contrahit, & vacua cœli in regione requirit:
Ipse retrogreßus, justa plus parte relicta
Erigonem juxta Chelasq;, Coronide cretus
Indigeti aßurgit, votisq; ad sidera poscit.
His thalamos superaddam, & nostri seminis Heben
Connubio jungam stabili, æternoq; Hymenæo:
Hanc quoque perpetuæ donatam flore juventæ
Præficiam cyathis, mihi quò Superisq; coronet
Ambrosiæ succos, & odori nectaris haustus.
Tu mihi testis eris, conjuxq; & maximus orbis,
Qui simul illius templis indicet honorem,
Communiq; agnos feriet cum matribus aræ.
Sed quid, gnate, ultrà fando tua demoror arma?
Vade agè, & egregium factis fer ad æthera nomen.
Laudibus Alcides gaudet, versatq; futurum
Conjugium, atque animum magno labefactus amore,
Ardet in arma magis: sed non Junonia tantùm
Gnata movet, quantùm in sacris cœloq; moratur
Promißo, indigetisq; Dei lætatur honore.
Hæc volvens, magnus media consistit arena
Induiturq; humeros tegmen, quaßatq; trementem
Vociferans clavam. Tu nostra incœpta secundes
Summe pater: tu conatus frustrata nec unquàm
Clava meos, adsis, magnæ virtutis & artis.

Debita

Dum bellum aggredimur: tua robora janitor Orci,
Hylæusque, Pholusque, & Lernæ exhorruit anguis,
Atque animæ ternæ Alcionêi, fortisque Ephialtes:
Tu raptorem Italam, spirantiaque ignibus ora
Semihominis Caci stravisti: en, maximus idem
Te gerit Alcides, eadem te dextera vibrat:
Perge eadem laude, & dubiis nè deficere rebus.
Dixit, & inflexus se circumvertit in orbem,
Protenditque humeros latos, robustaque jactat
Brachia, & invictos diversis casibus armos.
Ceu bellator equus, denso distendere pingui
Quem priùs aurigæ satagunt, & plausa lacessunt
Pectora, ut assuescat blandis gaudere magistris.
Olli corda tremens pavor exsultantia pulsat,
Excutiensque jubas pexa cervice comantes,
Stare loco nescit, totoque ardentis ab ore,
Spiritus absistit, spumisque humectat habenas,
Atque ita dissimili dum DI fervore morantur,
Armaque confusi rapiunt, Acheronte relicto,
Invehitur niveis virgo Styge nata quadrigis,
Indignata moras: victricem dextera palmam,
Altera paciferæ ramum prætendit olivæ:
Lætitiæ circumque, supraque, & clamor ovantûm,
Plaususque fremitusque sonant, ludique, trumphique,
Hinnitusque, & iniqua capti sorte gementes.
Ipse regens currum forti cum fratre gravis Vis
Sæva sedet super arma ducisque insignia victi,
Et lætum pæana canit: pæana profundæ
Responsant sylvæ, & sonitum nemora alta remittunt.
Jamque triumphantes cœli convexa subibant:

Cum

Cum strepitu, & portis curru Dea læta sub ipsis
Desiluit, corámque Jovem compellat, & infit.
Quid pater omnipotens gelidis in nubibus hæres?
Qua spe captus agis, quònam trahis omine bellum?
Ulteriùs tentare times? quæ causa coëgit
Vincentes tardasse manus? si condere terra
Se potuère cava profugi, tellure repostos
Erueres, traheresq; inimica in prælia pulsos.
Scilicet exspectas armisq; animisq; refecti
Dum redeant, iterumq; novis operata juventus
Connubiis, aliam (res non caret illa periclo)
Sufficiat prolem, & bello ad majora resurgat?
Pro cœlo obtestor, pro majestate tuorum,
Macte animi virtute tua: nil triste timebis
Auspice me, nec habet sententia fixa regressum:
Do, quod vis, nec enim credo, fortißime Divûm,
Sceptra aliena pati, & dominam dignabere Vestam.
Hæc ubi dicta dedit, se curru excelsa locavit,
Exuviisq; Jovem, spoliisq; recentibus omnes
Ornavit Superos. Ille implacabilis ultrà
Fluctuat ira, oditq; moras, & fulmina versat
Sæva manu, majórque animo violentia surgit.
Circùm omnis, quocunquè abiit, stipata tegebat
Turba Deûm, cunctis caput objectare periclis,
Et per aperta ducem discrimina ferre parata.
Primus in adversos missus cum milite Divos
Hyrtacides Musæus erat, quem matre creatum
Cypride nutrièrat sacra pater Hirtacus Ida,
Æquoreámque Cydona, & littora longa tenebat,
Creta Jovis magni tellus ubi Cycladas alto

Aspicit AEgæo, sparsasq; per æquora terras:
Isq; ubi quadrupedante pedum sonitu excitus, arma
Per sudum rutilare videt, fractumq; per auras
Clangorem mugire tubæ conterritus hausit,
Jamq; adsunt, portusq; tenent, propiusq; periclo est,
Obstupuit, subitò incumbentis imagine belli,
Consilii quid captet inops, veniámne precari,
Molirine fugam velit, & convertere cursus:
Dum dubitat, celeres Austri celer anteit alas
Juppiter, & positis circùm stat in agmine castris.
Sensit Aloïdes vicina movere propinquum
Signa Jovem: primò accendit viresq; animumq;,
Nec torpere gravi passus sua castra veterno,
Impiger in medium raptis legionibus, omnem
Ordine lunato pubem instructasq; cohortes
Explicuit, campoq; aciem direxit aperto,
Compositam numero in turmas certosq; maniplos.
At quorum melior menti sententia, agendum
Marte vetant belli proceres, vetat ipse Milinus,
Hyrtacidesq;, dolos jam dudùm pectore versans,
Qua ratione queat sese discrimine tanto
Subtrahere, hostilesq; sequi, vel turpiter, ausus.
At puer Ascræus lucis contemtor & hostis,
Audendum dextra est animisq; audacibus, infit,
Dum fatum indulget, validæq; ad prælia vires.
In me nulla mora est, nihil est quòd castra reducam,
Ignavisq; fuga mentem Cœlestibus addam:
Nunc cœlum superire, nefasq; refellere certum est,
Hoc & forsq; Deúsque jubent, & conscia virtus.
Talia vociferans, parvum celer instruit agmen,

Signaq;

Signaq; ferre jubet, frustrà retinente Milino.
Intereà Hyrtacidæ partes nutumq; sequuti
Cætera dum campis pubes instructa moratur,
Et cedunt tacitè, & lævo se tramite sensim
Subducunt, Superisq; parant sua jungere castra.
Haud temerè est visum, extemplò nam fama furenti
Detulit, arma retrò converti, abitumq; parari
Musæo, & tacito socios se abscondere furto.
Sævit inops animi, rumore accensus amaro,
Otus, & antevolans, tali scelus increpat ore.
Dissimulare fugam voluisti, perfide, tantam
Hyrtacide, furtimq; meis decedere castris
Affectas? an sic dictis Musæe manebis
Háncne sinis spem ferre tui, hæc est maxima rerum
Dictorumq; fides? ubi sunt jurantia verba?
Spiritus ille priùs sese illo corpore solvet,
Antè fides quàm te violem, & tua jura resolvam.
Sícne adversa cadens fortuna ingentibus ausis
Degenerem arguerit? juratum deseris Otum,
Quo sine nulla tuis quæsita est gloria rebus?
Qui regno expulsum casus complexus in omnes
Restituit sceptris? ánne hæc, ingrate, ferenda
Gratia pro meritis? terrorum & fraudis abundè
Antè fuit castris, nunc hoc, quodcunque pericli est,
Perfidia scelerate tua, auxilioq; negato,
Majus erit: patria agnosco perjuria gentis,
Quæ simili quondàm potuit succumbere culpæ.
At, modò quæ pietas capiti tàm fœda reservat,
Hæc quoque teq; tuumq; genus, perjure manebunt.
Vos autem, infidum exosi dominumq; ducemq;,

State viri, immotas simili nè crimine mentes
Involvat, curaque animos deludat inani.
Talibus insistit furiata mente per agmen,
Incusatque viri mendacis jura fidemque.
At nihil Hyrtacides, nihil illos dicta movebant,
Sed celerare dolos, recipique hostilibus ardent
Obsequiis, strictumque in amicos vertere ferrum.
Intereà magno cœlum intonat omne fragore,
Fulguraque ingeminant, quibus omnia visa repentè
Corruere, inque atras subsidere Creta favillas.
Ipse pater flammas, telumque haud debile dextra
Molitus, gladium stringentem, & dira minantem
Supplicia, aggreditur, clypeumque everberat aura
Fulminis, instantemque tamen sine fine Milinum
Exsuperat vi magna: illum immedicabile vulnus
Sternit humi, clausosque oculos nox ultima oberrat.
Ceu Boreas subito turbans nemus omne tumultu
Flatibus excelsam quercum ab radicibus imis
Eruit expulsam sublimè, omnesque fragore
Excitat adjunctos colles: stridore profundæ
Increpitant sylvæ, & multum pluit ilice glandis.
Tum verò ingenti miscentur pectora motu
Bellantûm, vulgique labant trepidantia corda,
Sublato Megaphætiade, magni agminis instar
Qui fuerat solus, nec pars postrema salutis.
Dux at Aloïdes illum increbrescere cernens
Rumorem, totus juvenili expalluit ore,
Tabentesque genas solvit formidine torpor:
Quid faciat, qua vi Superûm se evolvat ab armis,
Quò se proripiat, Cretæ quibus occulat oris.

Ira pudorq́ fugam prohibent, virtusq́ recursat
Prisca animo: solus tamen haud se opponere Divis,
Obnitiq́ nequit Superis, & tendere contrà.
Tum demùm varii vertuntur pectore sensus,
Horrificatq́ animum lethi timor, atque vocantem
Protendens dextram, socios simul increpat omnes.
Quò ruitis, solam hanc animam num proditis hosti?
Me me unum objicitis, nec tangit cura relicti?
Hæc est illa fides, Otum sic fraude petistis
Immeritum, quoniam Musæo aversa voluntas?
Talia jactanti, telumq́ instare trementi,
Mens non læva fuit: nam adducto Delius arcu
Fulminat, exclamatq́. Feres nunc quidquid acerbum est,
Quæq́ noverca diu sceleri Eëriboea paravit.
Haudquaquàm ille, satum quo te mentiris, aquarum
Eripiet Deus his telis, non verus Enipeûs,
Non Saturnus avus: Mavors hoc missile, Mavors
Librat, & hæc fatus, telum fatale coruscat,
Fulgentemq́ locis bis sex thoraca petitum,
Perfodit totidem, leviter tamen ære repulsum,
Extremam mucrone cutem, sine sanguine, strinxit.
Hoc animis cernens immanibus effera Phœbe
Ingentem, arboream, atque ima de stirpe recisam
Hastam intorquet: at illa auras certissima tranat,
Atque viam molita cavi per tegmina scuti,
Aeráque per ferriq́ moras descendit in imum
Pectus, & effregit costas: tum hærentia magno
Vulnere tela trahens, animam cum sanguine fundit.
Ille statim, taurus veluti media inter adactus
Cornua, vastus humi prosternitur & tremit artus

Arduaq; ingenti concussa est pondere tellus.
Mox circumfusi spoliant, & demta cruentis
Arma humeris rapiunt: auratis cingula bullis
Et clypeum Phœbus sumit, pallensq; comanti
Cum galea caput abscindit, truncumq; tepentem
Obruit immani subjectum mole Cadisci.
At socii exanimes paßim in diversa timore
Labuntur, vertuntq; dato vestigia tergo:
Hi deserta petunt cursu spelæa ferarum,
Hyrtacidæ partes alii terrore sequuntur.
Quos pater omnipotens certè nil tale merentes
Prosequitur venia, parcitque precantibus ultrò.
Sunt quoque Musæo sua dona, quod, hoste relicto,
Se medium paci obtulerit, belliq; sequestrum.
Ergò spe citiùs magni confecta laboris
Res fuit, atque omni Divûm sine sanguine tantæ
Molis opus fractum, & sua gloria reddita cœlo.
Olli sublimes in equis, discrimine tanto
Defuncti, redeunti, hostiliaq; arma ferentes,
Italiam clamore petunt, vimq; addere fessis
Accelerant: illic instructo Marte videres
Fervere vim pugnæ, clypeisq; effulgere campos.
Jam timor Enceladus Superûm alta conditus Ætna
Ingemit, atque latus motat, glomeratq; sub auras
Fumiferam noctem, & commistas igne favillas,
Hinc illinc clausus tenebris & carcere cæco:
Iäpetusq; cava Prochyta, duroq; cubili
Subditus Inarimes, fremit horridus ore cruento.
Ipse etiam Alcyoneûs, quem jam demiserat Orco
Sæpiùs Alcides, injecti mole Vesevi

Obrutus

Obrutus, ore ciet flammas, ignesq; rebelles
Faucibus eructans supera ad convexa volutat
Terrificus, nebulaq; ingens mons æstuat atra.
Quis mihi nunc Musæ, quis clades pandet Apollo,
Totq; viros, longis quos fama obscurior annis
Occulit ignotos? quis talia funera fando
Explicet? an tantæ superis Cœlestibus iræ
Juppiter, atque omnes bellorum effundis habenas?
Sternitur omne solum morientibus, altus ad astra
Lucida strage virûm latè accumulatur acervus.
Non secùs ac si quandò effusa grandine nymbus
Præcipitat, densaq; operit nive tecta domosq;,
Vertitur ipse inter medios, Martemq; fatigat
Castor equûm domitor, Mithrasq; nitente tiara,
Zosipolusq; Eleus, & immortalis Eänus.
Parte alia latis contrà desævit in arvis,
Agmen agens peditumq; equitumq; Volusius, urbis
Rector Agyllinæ: ceu credidit alma vetustas,
Sylvano satus, atque jugis enixus Hetruscis
Matre Thera, ingenti in luco, propè Ceritis amnem.
Ponè duo subeunt juvenes, quorum alter Alebas,
Alter Amalthiades, hic equo fidentior acri,
Ille levi melior cursu, pugnaq; pedestri:
Densa manus circùm greßus comitatur heriles
Servorum, magnoq; aciem glomerantur in unam
Murmure, velati setis. Ceu sæpè palustres
In numerum coëunt fulicæ, cùm Laria circùm
Dulcibus in stagnis rimantur prata fluentis
Adduæ, & ingentes vertunt ad littora, prædas.
Hos contra egregiis ingens apparuit armis

Vera Jovis soboles, nympha Symethi decretus,
Et forti innixus dextra, venientibus hastam
Immittit, sonuêre auræ, rectaq; gemellos,
AEgialum atque Tragon, conjuncto vulnere fratres
Fundit humi, quos mater Ilythia lacte caprino
Nutrièrat, tenensq; immulserat ubera labris:
Fecit enim hoc quondàm teneri inclementia dentis
Quò minùs admôrit, mammisq; infixa cicatrix.
Tum Tereo atque Pheastro incumbit, & eminùs hasta
Conjecta, Tereum instantem transverberat: olli
Ingeminat vulnus fugienti, atque altior ira
Insurgens, perq; arma jacit perq; ossa Pheastri:
Occubat & Terilas, genitum quem matre Liburna,
Apsorus Adriacis circumflua protulit undis.
Obvius ardenti sese offert Umber Amernus,
Magnum aliquid dextra sperans, vimq; adfore telo
Crediderat, longè at tremebunda supervolat hasta,
Incassumq; furens discussas vulnerat auras.
Tum verò implacati efferbuit ira Palici,
Horrendumq; tuens, librato missile, utrinquè
Tempora perfringit, cerebroq; undantia fuso
Extemplo immani de vulnere tela receptat,
Mox aliis latura necem, namque ærea scuti
Tegmina per, triplicemq; auro thoraca, Nerani
Pectus in oppositum stetit: olli frigida letho
Solvuntur membra, atque omnes mors occupat artus:
Pergit adhuc, magniq; Cleantis cominùs ense
Occupat os, animæq; viam mucrone recludit.
Ille quidem patrio nequidquàm elapsus ab hoste,
Italiam fato profugus, Cumanaq; venit

Littora,

Littora, multa mari passus, furiisq; suorum
Pulsus ob invidiam solio, sceptrisq; Liburnis,
Exsilio scelus ut patris crudele piaret.
Ille etenim (memor horresco) matresq; virosq;,
Illyricasq; nurus, mœstum & miserabile vulgus,
Urbis in excidium cum portas clauserat omnes,
Ad pœnam, ficta pro libertate, vocârat.
Triste nefas, nec quidquàm jura fidemq; Tyrannus
Ultoremq; Jovem erubuit, pœnasq; sequaces.
At procul ut quanto cuncta in discrimine rerum
Versentur, turbamq; metu conspexit inermem
Salius Imerodes, Hetrusco ductor ab Arno,
Increpat hærentes, dictisq; instigat acerbis.
Dedecus hoc prohibete viri, quos sorte supremæ
Esse viæ comites voluit, sociosq; salutis
Alma parens: pudeat nostram sine vindice gentem
Occubuisse: satis, si vincere fortè negatum,
Non tamen imbelles sine cæde & sanguine Divûm
Has nostras fudisse animas, Orcumq; subîsse.
Extremum hoc saltem, precor, & commune periclum
Nè grave sit victis, totisq; occurrite cœlo
Viribus: ense viam sibi quisque recludat, & armis
Oppetat egregiam mortem, virtutis & ortus
Magnarumq; memor laudum, quò sera nepotum
Venturorum ætas aliquod nomenq; decusq;
Nos etiam gessisse sciat: nè nulla superstes
Gloria cum vita immemori simul occubet ævo
Interit haud, virtute sua qui vivit, & expers
Mortis agit, totum fama super æthera notus:

Quem non illa movent laudumq́; agnata cupido,
Jam periit, & aperta videt sua funera vivens.
Talia clamanti Tirynthius imminet heros,
A tergo contraq́; parat non verba, sed arma:
Ille sonum agnovit, pedibusq́; fugacibus atro
Se letho eripuit, sociumq́; recepit ad agmen.
Cerva velut, latebris solitoq́; egressa cubili,
Pascua nota petit, crudum si territa cernat
Fortè lupum, aut fulvum descendere monte leonem,
Occupat obscuras sylvas atque invia lustra,
Præcipitiq́; fuga densis se vepribus abdit.
Ingruit Alcides victor, magnamq́; per omnes
Cæde viros edit stragem: nec sufficit ultrà,
Jam divulsa acies, tot sese evolvere damnis.
Terrigenæ attoniti monstris, deserta videntes
Agmina, turbatasq́; immani cæde cohortes,
Qua dubitant virtute, quibus se fraudibus hosti
Eripiant: primus contra juvenilis Amyntor
Emicat, aërio quem Daunius Apennino
Miserat Etioneus Damala Sybaritide cretum:
Ille tuens crudele, truci procul omnia visu
Lustrat, & Alcidæ insultat, sic ore loquutus.
Quis Deus Italicis iterùm te reddidit oris,
Pestis & atra lues mortalibus, orbe remenso?
Non sat erat semel Hesperio maduisse cruore,
Italiamq́; implêsse tuis terroribus omnem?
Non ultrà nostris ditabere, sæve, tropæis,
Lucanasq́; Laï Oenotrii penetrabis ad undas.
Cacus Aventinis iterùm consurget in arvis,

Arma-

Armabuntq; novum Junonia templa Lacinum.
Credo equidem, mentem modò veris implet haruspex,
Hæc suprema tuis quòd lux affulserit actis.
Sarne, tuos testor fontes, Silariq; fluenta,
Si concessa precor, prope vestras consita ripas
Exuviis spoliisq; onerabitur arbor opimis.
Talia dicentem procul ut conspexit in armis
Amphitryoniades, quamvis vix mota furore
Ira moram patitur, sese his cum vocibus offert.
Non odiis certare satis, vanasq; loquaci
Ore movere neces, & tristia quæque minari:
Viribus experiamur & ense, quid illius in te
Si priscæ virtutis inest: agè, consere dextram.
At verò juvenis formidine captus Amyntor,
Sanguineáq; oculorum acie, & sermone loquentis
Consternatus, ad Hetrusci se proripit alas
Agminis, & celerem cursu prævertitur Eurum.
Qualis in arva volans ingentem Chaönis ales
Dat tecto pennis strepitum, plausúq; superbo
Ipsa sibi placet, & motas diverberat auras:
Hos animos fastusq; alto si ex æthere raptor
Cernat, & irruat, affectati oblita decoris,
Tecta tremens petit, & timidas vix commovet alas.
Ast illum Alcides fugientem in prælia poscit,
Exprobrátque metum puero virtutis egenti,
Pauci obstant Italûm, tantumq; imbellibus auras
Missilibus quatiunt, & inertia tela fatigant.
Quorum de numero, jam funera certa timentem,
Cædentemq; loco vi magna robore adacto,

Immolat Alcathöum, quem gurgite Larius alto
Edidit, in tota quo non jucundior alter
Est lacus Hesperia: medio nam profluit humor
Dulcis, & ingratas celer Addua respuit undas:
Hinc illinc stat iners liquor, atque virentia musco
Stagna ferunt gratas epulis Insubribus escas.
Ingenti circùm tractu, longo ordine, montes
Perpetui cingunt, quorum juga summa coronant
Castaneæ, atque habitæ Grajis oracula quercus:
Rara tamen, quocunquè patet, latus arbor obumbrat,
Sed frutices tantùm & pingues nascuntur olivæ,
Perq; ulmos lentæ texunt umbracula vites:
Undè recens plenis spumat vindemia labris,
Colaq; prælorum fundunt dulcißima vina,
Qualia convivæ pateris libamus & auro,
Grata Deûm sacris, mensisq; accepta secundis.
Radices nemora alta tenent, & lustra ferarum,
Hospitiisq; invitat aves frondentibus arbos,
Quas, si læta juvent, aut lento fallere visco,
Aut pedicis poteris, canibúsve per avia mißis
Excutere auritos lepores, damasq; latentes.
Vix paulùm belli furor, & clamosa quièrant
Prælia, cum medium furiata mente per agmen,
Ardentesq; oculos suffusus sanguine & igni,
Irruit armipotens Tuiston, quo mißile adactum
Inquirens, clypei bonitas quod reppulit atrêi:
Dumq; amens teli auctorem vestigat, in ipsum
Incidit AEnantem, antiqua de stirpe Falerni
Progenitum Gauri Minturnensisq; Maricæ:

At tu,

At tu, nulla reum quoniam via ducit ad ipsum,
Persolvas pœnam, exclamat, fortiq; cateiam
Corripiens dextra, per trina volumina scuti,
Perq; rigentem auro tunicam, ferrum egit ad imum
Cordis, & ingenti pectus dirupit hiatu:
Ille cadit, caramq; vomens cum sanguine vitam,
Cervicem inflectit moribundam, altoq; sopore
Lumina clauduntur, lucem visura supremam.
Tum pergit, Corytoq; cateia incumbit eadem:
Illa volat stridens, summisq; cruenta pependit
Ex humeris, raptoq; iterùm de vulnere telo,
Ocynoum petit, & vasti, magno impete, ventris
Traiicit intestina, hærentemq; oßibus hastam
Urget adhuc, toto exstaret dum tergore ferrum.
Vix Clius elapsus, qui dum fulcire ruentem
Germanum studet, acta cutem perstrinxit arundo.
At procul Ocynoï fatum lacrymabile cernens
Horruit Imalion, dextramq; tetendit inermem,
Suppliciter genua amplexurus: at irrita tentat
Vota precesq;, ambas cùm iam foret acta per aures,
Orantis, cerebroq; viam patefecerat hasta.
Non animo tantum potuit perferre dolorem,
Et contrà Enialus vastum thoraca, novemq;
Intextum clypei tauris opus obiicit, hostem
Magnanimum opperiens interritus: excipit illum
Fortiter emisso hastili, & thoraca novemq;
Terga boum ingenti perrumpit vulnere: at ille
Suspirans graviter, Saltem hoc sine poße precantem,
Si lacrymis locus, inquit, adhuc votisq; relictus,

Incolumemq; sinas Lebanta redire parentes
Ad miseros, pœnæ luimus sat sanguine nostro.
Quem contra Tuiston. Idem manet exitus illum,
Fraternasq; unà frater comitabitur umbras.
Audiit hoc Lebas, lacrymæq; per ora volutæ,
Moxq; pedem retrò referens, molitur inanem
Tesqua per alta fugam, atque hosti dat terga sequenti.
Sed Deus & jaculis & cursu fervidus instat,
Atque alias celer, atque alias superingerit hastas,
Vixq; jacit raptas properanter, ut ocyùs actis
Vulnera det telis, priùs atram vulnere mortem
Volvitur ille solo moriens, & calcibus auras
Verberat exspirans, animamq; in sanguine ponit.
Talia per campos felici Marte Tuiston
Funera dat: letho elapsus vix unus Amodes,
Et Zancles, quorum melior pede cautus Amodes
Effugit: infelix nutans per lubrica Zancles
Concidit, immunda totus revolutus arena:
Collapsum rapit acer Adad, pedibusq; rotatum,
Ter circum caput egit, & actum fortiter æquor
In Siculum projecit: Iberus ut acer habenis
Stupea circumagit Balearis verbera fundæ.
Jamq; ut opes fractæ, fortunaq; tota recessit,
Et quisque abiectis trepidans diffideret armis:
Italus Alphestes parvis nutritus acerris,
At magnis generatus avis de semine Divûm,
Et comes Alcyonei, dum res stetit integra bello,
Multa animo secum volvens, cladesq; suorum
Spemq; metumq; inter repetens, hæc pectore rumpit.

Infortunati

Infortunati quos non manus Herculis atrum
Traxerit ad lethum, Nysæi aut ira leonis:
Quò, maria emensi, ferimur? per inhospita saxa
Fortunam sequimur fugientem, spesq; negatas,
Et scelerum toto pœnas expendimus orbe.
Felices animæ, Phlegræ sub mœnibus altis
Quîs cecidisse datum, quæ tu, fortißime gentis
Terrigenûm, premis Oromedon: quà maximus armis
Nuper Athos gelidis riget imbribus atque pruinis:
Quà Cinnus Rhoecusq; jacent, telisq; Dianæ
Alter Aloidum, quà tot correpta sub undis
Thermaïcus rotat arma sinus: vos nobile lethum,
Nos inhonesta fugæ comes ibit fama sub umbras.
Talibus illacrymans, in curas vertitur omnes,
Incertus quid agat, num correpto induat ense
Pectus, & imbellem properet per vulnera mortem:
An, quò fata ferant, & proxima meta salutis,
Proripiat cursu sese, quò nulla sequatur
Fama rei, ignotisq; erret peregrinus in oris:
Hoc placet, hoc fixum est: nusquàm tamen ille timore
Tecta domus subiît, non mœnibus ullius urbis
Successit, dumeta interq; horrentia lustra
Solorum nemorum, solis in montibus ævum
Exegit, vulsisq; aluit se stirpibus herbæ,
Victu infelici, lectaq; sub ilice glande.
Intereà fugiens iterùm de rupe Typhoëus
Caucasea, multum maris & telluris obivit,
Usq; Asiam extremam ad digreßus & ultima Bactra,
Quà se primus equis Oriens attollit anhelis,

Successum at fortuna negat, tum Jupiter hostis
Diq; Deæq; omnes terrent: ea cura recursat,
Et pavidum in diversa animum sensusq; fatigat:
Omnia prodigiis & cæco plena tumultu:
Hinc portenta movent, intempestæq; volucres:
Hinc diræ ultrices, & mens sibi conscia culpæ
Horrificant: non ullam animo, non corde quietem
Accipit, aut dulci declinant lumina somno.
His furor accedit, mentémque insania mutat,
Quáque sibi certam poterat sperare salutem,
Deserit hanc iterùm terram, erroresque retexit,
Cæcus Achæmenium remeans Euphratis ad amnem,
Quáque Palæstini Esseni, mirabile dictu,
Gens æterna tori sine munere vivit, amoris
Nescia, more feræ vitam sine crimine ducens.
Exsilio ex illo diversum ad littus adactus,
Totus inops Proteî devenit ad usquè columnas,
Et Pelusiacam gentem nostro orbe remotam.
Sensit id omnipotens genitor, secumq; volutans
Fortè novum Phariis, nè terris colligat agmen,
Adventúque animis vires hostilibus addat:
Concilium cogit Divûm, remq; ordine pandit,
In commune ferant, ut qua ratione, quod instat
Præveniant fatum, & majoris semina belli
Avertant: quæ cûiq; animo sententia sedit,
Proferat in medium jubet, illos occupat horror
Nomine majoris belli, adventuq; Typhoêi.
Quóq; ea res gravior visa est, impensiùs omnes
Hoc etiam expendunt casus, metuuntq; futuro.

Tandem,

Tandem, nam mora longa trahit discrimen apertum,
Decernunt simul, & venienti opponere monstro,
Quò res cunquè cadet, quidquid fortuna minetur,
Castra placet, totisq; occurrere viribus hosti.
Relliquiis Tibilenum Italis, Consumq; relinquunt
Magnanimumq; Curim Latio comitante Falacro:
Tu quoque Semideis te jungis Adrane Sicanis,
Tuq; Beles, qui numine Iäpidis arva Timavi
AEterno, & totam Illyrici regis æquoris oram:
Hos Razenna, amboq; pari virtute sequuntur
Alter Evamerion, Saturnius alter Abadir.
At quibus incumbit sævo se offerre Typhoêo,
Auroramq; sequi, & septemplicis ostia Nili,
Cœlituum jubare exorta delecta juventus
Se pugnæ parat, atque armis inducitur artus:
Pars pedes incedit: celeres pars corpora saltu
Subjiciunt in equos: pars pictis curribus adsunt.
O genus ante alios, unaq; Laphystius ira
AEstuat, & lateri fulgentem subligat ensem:
Germanûmq; pater Tuiston, non ultima Divûm
Gloria, per medios graditur. præterq; catejas
Teutonicas, geminos immani pondere contos
Versat ovans, quondam quibus, acer in arma Menœti,
Moliri incautis bellum patruelibus ausus.
Indè Tenes, & Enenthius, atque Tholesphorus augur,
Crajus & Eudanemũs, & Persicus Oromagdas.
Cœlestusq;, Psaphonq; ruunt, Niloq; creatus
Palmytius, rostroq; Deus metuendus adunco,
In raptoris avis faciem collectus Epiës,

Membraq; quò similis deformia velet amictus,
Tigridis exuviæ pendent à vertice ad imos
Usquè pedes, auresq; cavas & tempora circum
Ora feræ inclusère caput cum dentibus albis.
Ipse Deûm genitor, quo non præstantius ullum,
Telum immane manu magna numero eligit omni.
Heu quas in terras, quas illud vibret in oras,
Utitur haud unquàm, ni magnas territet urbes,
Aut mare sollicitet, totúmq; tremoribus orbem.
Tum Belum atque Sabin, pariter duo fulmina belli
Præmittit, latè quò terram indagine cingant,
Vestigentq; virum, circumq; infanda furentem
Insidiis subigant, nè quò elabatur ab armis.
Olli jußa parant, similesq; volucribus Euris
Effusi, celeres anteìbant cursibus auras:
Quaq; pharetratæ vicinia Persidis urget,
Milite circundant Arabum ditißima regna,
Angustasq; vias, & rubri littoris oras,
Quà deserta siti, & plaga torrida semper ab igne,
AEstuat AEthiopum calido sub sidere Cancri.
AEquora Neptunus, tempestatumq; potentes,
Et pater Oceänus claudunt, & Glaucus, & omnes,
Imperium quibus est pelagi, sæviq; tridentis.
Utq; dato signo castris prorupit apertis
Divûm animosa phalanx, magno gemit excita pulsu
Quadrupedante pedum tellus, atque arma coruscis
Solis inardescunt radiis, longeq; refulgent.
Tum flammæ aßiliunt, vibratumq; æthere fulgur,
Eliduntq; oculos, & lumina luce fatigant.

Terrigenæ,

Terrigenæ, nè, quò se verteret, aut quibus armis
Esset opus sciret, fatoq; resistere posset.
Non ruit hibernum tàm densa grandine cœlum,
Tot nec Achæmeniis funduntur Medica Parthis
Spicula, victorum cùm castra sequentia tardant.
Quot pater omnipotens, dextra lævaq; coruscans,
Europa atque Asia pulsum profugumq; Typhoêa
Versat agens telis, omniq; ex parte cruentat.
Ille furens animi, atque ingenti turbine raptus,
Occursat, telum ira facit, quodcunque repertum,
Antiquasq; domos avium, cum stirpibus imis
Eruit, exclamansq; immani voce, supinas
Torquet in instantes, & crebris jactibus alti
Eripit aspectum cœli: sed nulla salutem
Vis aperit, nulla ars virtusq; obsistere Divis
Sufficit, & dubitans quæ prima pericula vitet,
Clamorem horrendum tollit, quo Nilus & Atlas
Ultimus intremuit, penitusq; exterrita Memphis.
Illum ut Cœlicolæ telisq; armisq; carentem,
Cedentemq; loco vidère, hinc cominùs, atque hinc
Mox circumglomerati omnes rapiuntq; feruntq;:
Vulnera nec capiunt immania membra, locusq;
Missilibus desit, sic toto corpore densa
Telorum seges infixis mucronibus hæret.
Horret atrox sævitq; Gigas, iterumq; dolorem
Testatus clamore, gemit, quo maxima rerum
Astra tremunt, reboatq; cavis convallibus orbis:
Seq; videns circùm extrema jam in morte teneri,
Tigris ut hinc illinc venantûm indagine septa,

Fixa super fertur venabula, & ara Molossûm
Sæva per, instantis securus vulneris exit.
Haud aliter, Divûm quà se densissimus ordo
Objecit, per tela ruit perq; arma Typhoëus,
Elapsusq; tribus Strophadum prope passibus oras
Assequitur, longè Superis post terga relictis.
Jamq; in conspectum Siculæ telluris & AEtnæ
Venerat, ingentem maris, angustiq; Pelori
Cùm gemitum horrescens, canibusq; sonantia saxa,
Elisumq; vadum, & rorantia fluctibus astra,
Pantagiæ portus, & longo læva petivit
AEquora circuitu Megaræ, Tapsiq; jacentis,
Ortygiamq; tremens devenit, & Elidis amnem,
Quà grave Plemmyrii motis sonat æstus arenis,
Felicemq; trahens limum stagnantis Elori
Alveus: objicibus ruptis, superinnatat agris.
Hic quoque vindictam molitur, & alta Pachini
Saxa ciet, toto connixus corpore, & omni
Robore: dissultant Erycino in vertice sedes
Idaliæ, atque ipsis nutant cum mœnibus urbes:
Scylla ferox procul horrificum tonat, atque ruinis
Ingeminat, raucos timore ad sidera fluctus
Eructat latratu, & arenas commovet imas.
Juppiter accelerans non hoc tulit, atque revulsas,
Vertit in auctorem moles, subigitq; coactum
Vi magna horrendum, informem, ingentemq; Typhoëa
Quo se præcipuè Tellus jactabat alumno.
Si duo prætereà tales enixa tulisset
Terra viros, iterùm nova gens invicta moveret

Arma

Arma Jovi, & versis lugerent sidera fatis.
Quidquid enim tanto cessatum est tempore belli,
Illius Enceladiq; manu victoria cœli
Hæsit, & antè datum haud inimicam tollere gentem.
Sæpiùs ille quidem immanes attollere rupes
Nititur obnixus, sed totis viribus usus
Deficit, injectúmque coërcet robora pondus.
Tum super assistens Divûm pater atque hominum rex,
His onerat dictis. Hîc nunc metuende Typhoêu,
Hîc hostis metuende jace, nil guttura centum,
Nil centum juvêre manus, genitrixq; Cybele.
Hæc certè ex illo tibi jam speranda fuerunt
Tempore, non meliora, tuis cùm viribus ausi
Sunt conjurati cœlum rescindere fratres.
Nunc morere, & meritas, scelerate, expendito pœnas.
Talibus effatus, moles superaddidit omnes,
Atque indignantem, magno cum murmure, circùm
Montibus inclusit, speluncísque abdidit atris.

FINIS.

